



1
2
3
4
5
6
7
8
9

1649.

1. Moebius, Gothofredus: De natura et usu vomitoriorum.
2. Moebius, Gothofredus: De rheumatico affectu.
3. Moebius, Gothofredus: De natura et usu clysterum saluberrimus.
4. Richter, Christophorus Philippus: De jure, vasallo in feudo competenti.
5. Rolfincius, Emerentius: De inappetentia ventriculi.
6. Schelhammerus, Christophorus: De paralyssi.
7. Schelhammerus, Christophorus: De veneno.
8. Struve, Georg Adamus: Sciographiae juris feudalis pars I.
9. Struve, Georgius Adamus: Disputatio inang. ex feudo. ma l. si unquam & P. De reove. Donat. C. quaestionibus inclusa.

1649.

10. Thomas, Johannes: De superficie.
11. Ursath, Johann Casparus: De jure retracto-
nis et emigrationis
12. Ursath, Johann Casparus: De subjectionis jure
13. Volckius, Joannes: Theoremata medica

1652.

1. Beckmann, Johannes Bartholomaeus: De magistratu
in genere.
2. Moebius, Godefridus: De podagra.
3. Moebius, Godefridus: De sterilitate senus
utriusque.
4. Richter, Christophorus Philippus: De retractu
lineari.
5. Rolfinck, Guernerus: De ictero flavo.
6. Rolfinck, Guernerus: De phrenitide.
7. Sagittarius, Joh. Christof: Constantinus magnus,
Imperator Romanus.

7^a
3 Schaevus, Henricus: De calculo renium.

8. Schelhammerus, Christophorus: De catalepsi.

9. Shrove, Georg Adamus: De jure domicilii.

10. Thomae, Johannes: Cupidam legum juventutem ad
institutions lectiones... invitet

11. Thomae, Johannes: De concessa litigiosa alienatione.

12. Thomaeus, Johannes: De revocanda et punianda
litigiosa alienatione.

13. Thomae, Johannes: De monopolis.

14. Thomae, Johannes: De commodato.

15^a et Thomae, Johannes: De nundinis. 2 Praecept. 1650

in 1724... ad 1724. accessit: Joh. Jac. von Rysell:

de eadem materia Praecept. in Aug. 1692 habita.

16. Thomae, Johannes: De mutuo.

17. Thomae, Johannes: De fructibus.

18. Nugebauer, Erasmus: De conditione venditione.



24. 1649/1 1

SANCTA TRIADE ASPIRANTE.
EMETOLOGIA.
Seu
DISPUTATIO MEDICA
DE
NATURA ET USU
VOMITORIORUM.

PRAESTANTISSIMO

QUAM

PRÆSIDE

VIRO

Nobilissimo, Amplissimo, Experientissimo,

Dn. GOTHOFREDO MOEBIO,
Medic. Doct. & P. P. celeberrimo, Electorali Bran-
denburgico, & Admin. ArchiEpisc. Magdeburg. Archia-
tro famigeratissimo. Dn. Præceptore, Patrono, Promo-
tore, ac Fautore suo, omni & observantiæ & ho-
noris cultu æviternum profe-
quendo.

Placido ac publico Philiatorum examini
exponit.

JOHANNES CASPAR BOWITZ,
JENENSIS.

Ad diem Augusti

In Auditorio Medico, horis consuetis.

J E N Æ

Excudebat **CHRISTIANUS LAURENTIUS Kempff**

ANNO

M. DC. XLIX.





V I R I S

Nobilissimo, Amplissimo ac Consultissimo

DN. ANDREÆ SEIFFARTO, Jcto
excellentissimo Syndico Magdeb. longè
meritissimo,

Amplissimo ac Consultissimo

DN. MELCHIORI HOFMANNO, Reve-
rend. ac Sereniss. Admin. Archiepisc. Mag-
deb. Prætori Halæ gravissimo,

Amplissimo Jurisq. Peritissimo

DN. DANIELI BACHSMUTHEN/
fontium Hallens. Magistro supremo
spectatissimo,

*Dnn. Consobrino, adfina, ac avunculo, Promoto-
ribus ac Favoribus suis honoratissimis.*

Hanc Disputationem Medicam

*in observantia & debite gratitudinis mo-
numentum*

&

ulterioris favori incitamentum
ded.

J. C. B.



Σὺν τῷ Θεῷ.



Esophagi, sive gula usus non solum est cibum ad ventriculum ablegare, sed & iterum e stomacho elevata vomitu rejicere, *Pergameno Præceptore lib. 5. loc. affect. c. 5.* dictitante. Natura hoc modo se sæpius spontè à morbis liberat & præservat. Curiosa naturæ imitatrix, ars, idem auxilium trahit in usum; desuntò exemplò à canibus; qui *Plinio*, nec non *Aristotele* l. 8. de *hist. animal. c. 5.* asserentibus, ægrescentes, aut cholera in ventriculo onerati, aut lumbricis infestati, herbam tritici, aut aspera graminis folia edunt & rodunt, vomitum excitaturi. Tutissimum quum hoc sit remedii genus, à primis artis inventoribus statim magni fuit æstimatum. *Diodorus enim Siculus, & Herodotus, Ægyptios, & Chaldeos* ter quolibet mense, pro conservandâ sanitate vomere consuevisse, literarum monumentis consignârunt. A quâ consuetudine non multum recedit *Hippocrates*: nam *lib. de insomn. scribit, salubre esse, bis in mense vomere & 3. de diet. humidiores, inquit, debent in mense vomere ter, sicciores bis.* Inter *Neotericos Fabric. Hildanus* semel in mense sanitatis conservandæ gratiâ vomitum commendat. Quum verò circa legitimum hujus usum quamplurima sint observanda, operæ pretium erit, de hac utilissimâ materiâ exercitii gratiâ discursum instituerè.

THESIS I.

Vomitorium à vomendo *Latinis* dictum, *Græcis ἐμετικόν* appellatur, aliis purgans *ἄνω*. *Συμφασισμοὶ* peculiariter vomitus ante pastum matutini & jejuni, ut habet *Laurentius* l. de *strumarum curat.* vocantur, forsan *διὰ τῆς συμφασίας*, à raphano emericâ virtute prædito.

II. DEFINITUR, quod sit remedium, ventriculum, vicinâq; partes, per gulam & os evacuans, non nihil etiam si sit fortius, à remotioribus revellens.

A 2

III, DIF-

III. DIFFERENTIÆ. 1. *ratione consistentie* alia sunt liquida, alia solida. Et hæc rursus vel mollia vel humida, vel dura & sicca. 2. *ratione materiae*, alia simplicia, alia composita, 3. *ratione virium*, alia benigna seu mitia, alia mediocria, alia fortia & violenta. 4. *ratione modi utendi*, alia interna per os assumenda; alia topica & externa, quæ foris ventriculi regioni, & aliis partibus applicantur. Notandum, quod fortiora Clystere infusa, quoque virtute suâ polleant. 5. *ratione modi operandi*. 1. quædam *occultis*, quædam *manifestis* operantur *qualitatibus*. Et hæc iterum aut laxando, tonumque ventriculi resolvendo, aut incidendo, aut attenuando, detergendo; aut attrahendo, aut stimulando. Quod postremum ventriculi tunicis ita est infestum, ut expultricem ejus virtutem ad ejiciendum impellat. Expellita autem ventriculus imis partibus contractis, superioribus dilatatis. 2. Quædam *biliosos* potissimum, quædam *serosos & aquosos* aliosque humores, vel vermes etiam & alia educunt.

IV. LENIA seu benigna interna parantur ex aquâ simplici tepidâ, quali *Æsopus* vomitum excitabat: item hydrelæo, ol. amygd. dulc. brodiis pinguioribus hydromel. oxymel. simpl. ficubus recentioribus comestis, superbibitâ aquâ tepidâ, de coct. fol. lauri *Diose l. 1. c. 20.* quæ omnia amyctide sunt assumenda, & si feliciter operari debent, cum pauxillo salis & mellis miscenda. Decoctum hordei, vel ptisanæ cum melle, item juscula carniû pinguium ubertim absorpta idem dant effectum. Oleum commune tepidum ad ℥4. vel l.vj. butyrum liquatum calidum 2. vel 3. cochlearia, ol. amygd. dulc. ℥j vel ℥ij cum aquâ vel carnis brodio expectationi satisfaciunt. Lenticulæ decoctum à cibo *Hippocr. l. 2. de morbis* exhibebat. *Cautela*. Oleum simplex ut & alia pinguium in febribus sunt vitanda: siquidem ventriculum laxant, & appetitum prosternunt, qui potius tum temporis est servandus. Porrò in diarrhæâ, & in omni pravâ chylicatione à nimia ventriculi laxitate proveniente oleosa, ceu majus pro commodo damnum allatura rejicienda.

V. **MEDIOCRIA** *radic.* atripl. asari, melon, pepon. cucum. beton; bulbus narcissi ā ʒβ ad ʒj. *Diosc. Fernel. & Oribas.* suasu pro pinanda. Succus raphani cum hydrom. ad ʒij vel ʒiij offerendus. Cortex ejusdem ad ʒij ex oxymel. potus celerius vomitum movet. Cortex & radix arbor jugland. ad ʒij vel ʒiij succ. cortic. sambuc. ad ʒij ejusdem sunt efficaciam. Eupator. *Avicenn Gesner.* in Epist. laudat. *Folia* asari ʒ. vel. 8. pro dosi sufficiunt. Summitates recentes sambuci ad ʒj & ʒjβ quoq; dandi. *Flores* anethi, chamæmeli, persic: è quibus conserva paratur, quæ sola exhibetur ā ʒij ad ʒβ. Item juli nucum jugland. exsiccat. ā ʒij ad ʒj. *Semina* anethi, atripl. dauci. cepar. cucum. eruc. nasturt. raphani, rapæ ad ʒij. vel ʒβ urtic. ā ʒj ad ʒij. *Olea* ex infus. fl. anet. cortic. sambuc. it. raphan. sesamin. in aq. tepidâ ad ʒij vel ʒiij ex arillis baccar. sambuc. vel sem. ebuli expressum. ā g: x. vel xij *Grünlingus* offert. Alii ol. arill. sambuc. ad ʒβ cum brodio præbent. aq. fl. genistæ ut & nuc. virid. ad ʒij vel ʒijβ. *Nota.* Chimicorum si magis arrident extracta, ea parabis eo modo, quo *Hartmannus* coagulum asari; Nimirum planta cum toto cum spir. vini extrahenda, è remanentiâ a. seu facibus calcinatis ⊖ extrahendum, quod cum extracto conjungendum. Spir. vini ad consistentiam mellis evocandus. Ita suavissima vomitoria ex omni plantâ emeticâ habebis. Dosis semper erit respectu pulveris dimidia.

VI. **VALIDA** seu fortiora sunt *radices* cyclam. quæ recens potest dari ad ʒj exsiccata ad ʒiij cum poscâ aut dilutô mulsô, adferente *Diosc. & Taberne mont.* Cautè tamen aliorum judicio exhibendæ, quum rarò sine aliquo damno operentur. Ebuli ad ʒij seu succus ā ʒβ ad ʒvj data eadem virtute pollet. Bryonia, in substantiâ ad ʒj in infuso ad ʒβ vel ʒvj hydropicorum aquas non solum *κάρω* sed & *ἀνω* educit.

VII. *Nux vomica*, quæ hodie in officinis nostris nota, virtutem quoque dicitur habere vomitivam, teste *Renodeo*. *Nux vomica*, ait, quum habeat vim alexiteriam, etiam vomitu provocando magis confert &c. Vomitivum, quod *Nicolaus* habet (descriptionem vide apud *Weckerum*.) eandem nucem admittit. Ve-

rum vim narcoticam vomitoriis planè adversam in hâc nuce animadvertère *Gesnerus, Hennemannus, & ex iis Sennertus*, qui in *Paralipom.* ait: error ex eo pervenisse videtur, quòd *nux metella & vomica apud authores, confundantur, & uni solummodò ex hiù vi emetica competat.* Hâc itaque, quæ jam nobis nota, potius est narcotica, non solummodò feles & canes, verùm etiam ipsos homines zij pondere sumpta, teste *Tabernemontan.* interimic. Medicamentis alexipharmacis admiscetur, non quòd alexiteriâ virtute polleat, sed quòd instar opii vapores venenosos coërceat, ut fusiùs docet *Sennertus.* *Nux vomica* autem, quæ à *Serapione* describitur, ad zij cum melle & sem. fœniculi data, vomitum movet. *Balano Myrepsica Diosc.* ad zij idem affectus tribuitur. *Hippocr.* Peplium etiam habebat in usu quod patet è lib. 6. *Epidem. s. 2. p. 40.* *Atrâ bile vexatus Adamantus, multo sumpto peplio interdum nigrâ vomitione rejecit, quod aliquando etiam à cepis contigit.* *Sesamoides* ad zij aceto mulso tritum in *epist. de veratri purgat,* idem laudat.

VIII. Veteres Vomitoria ex utròq; *Helleboro.* imprimis tamen ex albo, quem nonnulli *Hippocratis* genuinum esse autumant, parabant. Nostro tempore ejus usus ferè planè exspiravit, quum ventriculo valdè sit infensus, hypercatharsin, & convulsiones lethales pariat. Idem quoque olim *Celso* non satis placuit. *Illud enim scire oportet, ait, ejusmodi medicamentum (de Helleboro verba faciens) quod potui datur agris non semper prodesse, semper autem nocere sanis.* *Hippocrati* in curationibus, fuit frequentissimus. Corpora autem quæ ad veratri usum non satis erant disposita præparabantur. Prima nimirum corporis regio prius purgabatur, humores crassi & viscidi incidebantur & attenuabantur, & vacuationi per vomitum aptiores reddebantur, omnes corporis partes referebantur, corpusque optimè nutriebatur & humectabatur, tam alimentis boni succi, quàm quiete, balneis & fomentationibus peculiaribus, sicut id dilucidè docet, in *epist. de veratri purgat. & alibi.* Item *Gal. aph. 6. s. 5. Epid. aph. 9. l. 2. & 13. l. 4. & Celsus l. 2. c. 13.* Aliàs fibræ rad. helleb. albi dantur à zij ad zij ã zij maceratae per noctem in jure pingui, aut quod melius vino dulci, aut in decocto leniente,

te, cum cinamon. sem. anisi. Expressioni addi potest momen-
rum sacchari. Eadem fibræ infiguntur in radic. raphani, quas
postridiè exemptis fibris devoranda. Parili ratione infigi pos-
sunt pomo cocto. Alias modi helleborum parandi sunt varii,
ut videre licet apud *Aëtium* l. 3. c. 124. & seq. & apud *Paulum*
l. 7. c. 10. *Galen.* l. quos, quando & quibus medicam. purgare deceat,
scribit, se exhibuisse aliquando oxymel. in quo hellebori albi ramuscu-
li, per diem & noctem raphani infixi dimissi erant, & purgasse leniter.
Hadrianus à Minsicht. correctionem hujus instituit aceto in
quo corallia soluta, spir. ☉ fuere præcipitata, imbuto ta-
men granis chermes & floribus cordialibus. *Fibræ hellebor. ni-*
gri ā ℥j ad ℥ij in infus. ā ℥j ad ℥℥ sed cautè, & cum corrigente
dandæ.

IX. *Folia* gratiolæ ℥j *Ebuli* ℥ij ad ℥iij *genistæ* ℥iij *Taba-*
ci ad aliquot ℥ *Flores* genistæ, ebuli ℥ij vel ℥iij. *Semina* genistæ
℥j *Cnici*, anagyris, coccognidii, ricini numero XX. XXX. *Esu-*
læ ad ℥℥ exhibendæ. *Quercetanus* sirupū suum de peto simplic.
ad cochl. dimid. & compos. ad ℥j℥ vel ℥ij ut & aquam antife-
bril. ad semicochl. propinat. *Coagulum*, quo ad Casei seque-
strationem Coloni uruntur, eodem nomine *Sala* præscriptum
vidit. *Acetum destillatum* quoque teste *Morello in method præscrib.*
form. remed. operandi effectum est violentissimum, quod cautè
usurpandum, & in robustissimis solum. Præscribitur bifari-
am vel enim solum ex alembico plumbeo liquor ipsius destil-
latur, vel ut *Monspeltii* mulierculis usitatum, panis albus è fur-
no recenter extractus in ℥ij vel iij aceti, infunditur, sit destil-
lario, & liquoris est usus, ut & superioris ad ℥iij vel ℥4 in febril-
bus maximè intermittentibus, diuturnis, ante, & in pa-
roxysmo.

X. Moderno tempore notum est *gummi guttae*, *Gutta*
Cambodia, *Gutta gamba* s. *gummi de peru*, quæ *Rosenbergio* in *Rho-*
dolog. p. 2. c. 21. est succus *Ricini Indici*, vel potius succus *Esule*
Indiacæ, teste *Jacobo Bontio* in *India occidentali Archiatro lib. de me-*
dicamentis Indor. *Planta ista*, ait, quæ *guttam Cambodia* fert seu
lachrymam istam flavam, quam in patriâ habetis, *supradictæ* (nimi-
rum *Esula* seu *tithymali majori*, acumina magnarum arborum, quas
instar

instar hedera amplectitur aqvante) adsimilū est, nisi, quod non tam
altè excrestat, ita ut ferme solo colore succi hi inter se differant. Per
se hic succus est vehemens expurgat *ἄνω ἤτοι ὑγῆς* serosos &
aquosos humores. Corrigitur Spir. \ominus & \oplus . In Indiā ubi cre-
scit, solo aceto maceratur. Quibusdam Spiritus vini extrahi-
tur & aromatizatur.

XI. Inventa sunt nostra tempestate Chemicorum in-
dustriā (sicut fecundo temporis progressu nova rerum inven-
tio indies incrementum sumit) multa præstantiora vomitoria,
multòque tutiora, quorum usus plurimus hodiè existit, in di-
versis & gravibus morbis curandis. Ita Sal \oplus Angelus Sala in Ter-
nar. Hemet. laudibus in cœlum tollit. Testor Deum, ait, & certò
civis promitto lectori, quod inter medicamenta vomitoria tam sim-
plicia, quam composita, & quomodocunq; præparata, sive mineralia,
sive vegetabilia, quæ vel ab aliis adhiberi vidi, vel ipsemet adhibui, nul-
lum observaverim magis universale, magis interim præ cæteris ad pur-
gandum superfluitates in stomacho, corruptosq; humores in ipsis tuni-
cū impactos, benignum, quam hoc ipsum Sal \oplus . Adeò siquidem tutò,
adeò facile operationem perficit suam, ut merito jure Manna vomito-
riorum veniat adpellanda & c. Ritè tamen hoc sal est præparan-
dum è \oplus rectè calcinato. Si enim colchotar adhuc est rubrum,
instar boli armenæ, vitriolum ejusdem coloris, non verò Sal
album præbebit; si nimis erit calcinatum vitriolum, ad nigre-
dinem puta, vel spongiositatem, adeò ut spiritibus acidis spo-
liatum prorsus sit, nec multum salis inde conficies, quod pur-
get multum. Calcinatum itaque vitriolum huic usui accom-
modatum, sit brunneum seu obscurè purpureum, ut ibidem
monet Sala. In exhibitione vomitoriorum vitriolorum cavendum
ab asthmate, aliisq; pectoris affectibus. Vitriolum nimirum crudum
venenum est, quia asthma procreat, & suffocando necat, ait Hartman-
nus in notis supra Crollium. Sala tamen in Hemetol. Sal vitriol. in
Curat. 16. cum fructu in asthmate à catarrho dedit. Vitriolum
crudum propriè venenum non esse, demonstrat Sennertus l. 6.
med. pract. p. 264. Tutius tamen sal ritè paratum, quam \oplus
crudum propinatur. Dosis ejus est \mathfrak{ij} ad $\mathfrak{ij}\beta$ vel \mathfrak{ij} in vino,
brodio carnis, vel phlegmate \oplus acido & aromatico. In \oplus
D, \oplus

D, q, s, imò & in ipso hni saccharo vim *avw* purgantem curiosus indagator invenire poterit.

XII. *Antimonium* ob egregias virtutes medicinales non immeritò *manus Dei à Matthiolo* vocatur. Inter cæteras præstantissima in eo est vis vomitiva, quæ tamen cautè ibi quærenda & in usum vocanda. Crudum *Wertembergerus Basilea*, teste *Hartmanno*, cum succo berberor. extrahebat, ad sirupi consistentiam. Dos. ℥j. Vitrum ejusdem nonnulli eligunt, quod quibusdam circum foraneis, barbi tonsoribus, aliisque hominibus imperitis est in usu. Verùm quam in felici eventu, quotidiana testatur experientia. Vitrum *Quercetanus l. de medic. spagir. prepar. perniciosum est medicamentum, quod facultatem irritando expultricem per superiora & inferiora magnâ cum perturbatione ducit. Quod ego probare nullo modo possum: non enim violentis quibusvis purgationibus morbi omnes curantur, sed convenientibus.* Vehementiam hujus medicamenti *Id. author in tetrad. graviss. aff.* cuidam spiritui arsenicali adscribit, qui in marmore, in quod injectum fuerit vitrum, facilè animadverti potest, cujus pulvis tenuissimus & subtilissimus, si ad aliquot septimanas soli exponatur calido, & de eo etiam majori dosi propinetur, nullarum virium, ad purgandum, aut movendum corpus futurus sit, quod calore solis spiritus ejus exhalârit, ac evanuerit. Quod si itaque infuso hujus vitri uti velis, non quodvis & à quovis chimicastrò paratum sumendum. Antimonium diligentissimè est calcinandum, laborque aliquoties repetendus, si vitrum minus noxium expetis. Alii ad correctionem confugiunt cautiùs mercaturi. Hanc quidem aceto destillato expediunt, sed commodiùs Spiritus vitrioli adhibetur, sæpiùs de vitro pulverisato abstrahendus. Ita enim Spiritus arsenicales mitigantur, multumque de vehementiâ suâ amittunt. In substantiâ *Hartmannus* ita miscet cum speciebus theriacalibus. In notis *supra Crollium* alias addit correctiones. Flores antimonii albi vel rubri, in quibus spiritus arsenicales inprimis deprehenduntur, nunquam sine correctione propinandi. Optima est correctio, quæ fit per arcanum s. Magisterium ♀ & Spiritum vini aromatizatum, ut clarius notat *Grülingius in flor. Chym. c. 3. de vomit.*

B

XIII.

XIII. *Angelus Sala*, præterea suam *rosam mercurialem* & *mineralem*, *mercurium vita* & *crocum metallorum* commendat. *Mercurius præcipitatus* per se, vel per *silices*, vel per *oleum Oli. Aris*, *tincturam smiridis* vel alio modo in certis casibus admirando fructu *ævos* purgat.

XIV. *Imperatorii Radolphi Medicus Martinus Rulandus* vomitiones ciebat in variis affectibus, *aquâ suâ benedictâ*, *it. spiritu aureo*, *aquâ terra sancta*, & *calice vomitivo*. Horum compositiones quidem occultavit, *Quercetanus* tamen non sine ratione conjicit, *crocum metallorum* in *aquâ benedictâ* loco *baseos* esse, & *aquam terræ sanctæ*, nec non *spiritum aureum* ex ♀ & ♁ ritè purgatis componi, *calicemque vomitorium* ex vitro *antimonii calce plumbi cum silicibus fuso*. *Crocum metallorum* *antimonii sobolem*, alii cum *nitro solo*, ut *Sala*, alii cum *nitro & tartaro*, ut *Beguinus*, alii cum *sale absint*. ut *Minsicht*. parant. Gratiâ non caret ♀ *emeticus ejusdem Minsichtii* ad gr. 4. vel 5. vel 6. sumptus. In præparatione *spiritus trium mineralium flores* elevantur, qui præter alias egregias dotes, sat benignè quoque vomitum excitare valent. *Sal. volatile C. Cervi* ritè exhibitum præter *sudorem*, quem copiosissimum provocat, *salis vitrioli vices* explere non semel deprehendimus.

XV. Tandem non omittenda sunt *ramenta unguium*, quæ non immeritò *emeticum humanum* nominare possumus. Hæc quidem à *sennerto l. 6. med. pract.* inter venena referuntur: possunt tamen dari in vino, vel alio liquore pro lubitu. Vidi duos, testatur *Heinricus ab Heer*, qui nullo *antimonio*, aut alio *eccoproctico*, ne quidem *ellebori extracto*, *alvum laxabant*, quum meo consilio *propriorum unguium præsegmina & rasuram bibissent*, vomitu *juxta ac secessu abundè se deplebant*. In *hydrope* si hæc segmenta *umbilico ægri imponantur*, dicuntur *aquam miraculosè expellere*.

XVI. EXTERNA. Inter hæc commendantur *unguentum de arthanitâ* supra *umbilicum inungendum*, vel *hellebori albi radices* regioni *ventriculi imponendæ*. *Fernelius* unguento de *lathyride* seu *cataputiâ ventriculi regionem inungit*, unguen-

guentum *Varanda*, & de *peto* idem præstare potest. Huc referre possumus *motum in navi*, & *gravissimum carinæ odorem*, qui nauseam & vomitum certissimè concilare queunt. *Motus in curru* apud quosdam idem dat effectum. Imò quosdam videas, qui ex *equitationis motu* nausèa tentantur: *Hieronimus enim Mampeirus* navium olim præfectus, à Senatu legatus exercitûs creatus, cum cæteris equitibus equitare non poterat, perpetuis nauseis vexatus, *Alexandro Benedicto* l. de re medicâ f. 242. referente. Tandem etiam, quibusdam ex *rei fatidæ* aut *abominandæ*, aut *medicamenti vomitorii vel purgantis*, conspectu, sensu, aut solâ etiam imaginatione nausea & vomitû excipitur. *Sennert*. l. de *conf. & dissens.* p. 232. Ejusmodi historiam habet *Salmuth cent. 3. observat. med. 14.* ubi hera quædam, quoties purgari cuperet, pilulas ex officinâ petitas, ancillæ deglutendas offerebat, & exinde, quòd saltem adstaret, & pilulas deglutire videret, cum nauseabat, tum purgabatur. Non desunt, qui aëre ore attracto, & hypochondriis utraq; manu compressis, vel solummodò digitò, vel pennâ oleò imbutâ in fauces immisâ pro lubitu vomitum procurare queunt. *Rusticus Prussiacus* anno 1635. manubrio cultri in fauces detruso vomitione se levare conabatur, sed planè infelici eventu, quum culter incuria profundius intrusus ad ventriculum delaberetur, & sectione à *Collegio medico Regiomontano* iterum fuerit extractus. Idem in rustico *Pragæ* anno 1602. contrigisse, notum.

XVII. COMPOSITIO, seu MODUS PARANDI est vel *simplicium* vel *compositorum*. *Simplicia* dantur eò modò & eâ dosi, ut hactenus fuit indicatum; chimica tamen inprimis è mineralium familiâ prodeuntia accuratiore gaudent præparatione, quam fusè tradunt *Hermeticorum libri*. *Composita* ab aliis medicamentorum formulis nil differunt; dantur enim in formâ pulveris, decocti, infusi, sirupi, conservæ, electuarii, extracti, emulsionis & c. vel variè inter se miscentur. Quasdam solummodò formulas in fine subjiciamus.

XVIII. QUANTITAS vomitoriorum pro varietate vomentis, & ipsorum vomitoriorum plurimùm variat. In minori enim dosi junioribus, in majori adultis præscribun-

tur. In minori quantitate etiam dantur valida, in mediocri, mediocria, in magnâ mitia & benigna; quemadmodum dosis in principio cuiuslibet fuit adjuncta.

XIX. UTENDI MODUS. Ubi quædam observanda veniunt. *Ante vomitum.* Fortiora si sumenda sunt, corpus ita præparandum, ut antea de usu hellebori dictum: & benè perpendendum, an circumstantia quædam occurrat, quæ ab usu vomitorii te revocare queat. Fortiora enim vomitoria, ut *Helleborata, & Ôniata* iis solùm danda, qui ad vomitum proclives: tales sunt, ut patet *ex Aristot. l. 9. animal.* quibus latius pectus est. Considerandum tamen simul, an ventriculus sit fortis, & humorum impetus sursum feratur. Interdum etiam ad illud *Hippocr. respiciendum 6. aph. 72. Quod si super fluxilia corpora reddere voles, alvus sistenda est, si verò infra, humectanda.*

XX. *In assumptione vomitorii.* 1. Exhibenda sunt vomitoria tepidè, ut orificium ventriculi superius, melius relaxetur, & ad rejiciendum disponatur. 2. Ubi potiones, quæ vomitum movent, propinamus, largiores esse aliis, quibus stomachi vitia emendare solemus, esse oportet, ut rei pondere subvertatur ventriculus, atque ita infestantes humores simul rejiciat. In cholera tamen humidâ *Septalius ex Aretæo* minorem dosin exhibendam esse monet, ne distento nimium ventriculo difficilior humorum exitus reddatur, ac deinde major vis ac dolor ventriculo inferatur. Quod si vomitio spontè non procedat, digitò faucibus immisô, spirituque in ventriculum attractô, vel pennâ oleo imbutâ, & in fauces titillatione quâdam immisâ acceleranda. Notes præterea, monente *Caprilius l. de febr.* quòd in affectibus biliosis moderatissimum sit eligendum vomitorium. Cerevisia tepida non statim à vomitorio assumto, ut quidam volunt sumatur, sed demùm, ubi æger bis tervè vomuerit, aliàs enim vim vomitorii obtundit, non promover.

XXI. *In ipso vomitu.* 1. Vomiturus prono collocandus est situ, capite vel manu adstantis, vel aliò modò firmatò, ventriculòque manibus, quantum fieri potest, compresso, ut eò faciliùs vomitio succedat, & in motu violentò partes
vici-

vicinæ à rupturâ præferrentur. 2. Extremitates, caput, manus & pedes non refrigeret, sed calorem istis de industriâ acquirat, hyper catharses devitaturus. 3. Ubi vomitus moveretur, potest exhiberi jus gallinarum vel pisorum leviter coctorum, vel tepidæ cerevisiæ haustus, reiterando, si opus, aliquoties, ut sine majori molestiâ medicamenti actio acceleretur. Si amara jam prodeunt, copiosior cerevisiæ haustus exhibendus, & sub finem, ad stomachum tandem eluendum & quod restat pravi, eliciendum, copiosissimus. 4. Inter vomendum *Mercati* suasu, oculos comprimere & postea aquâ frigidâ abluere est consultum. *Trincavellius* l. 3. *Consil.* f. 626. vomitûs tempore oculos non solum claudendos, sed arctissimè ligandos suadet. 5. Inprimis post sumtum ð medicamentum, lectulo inclusus maneat, paulò post jus carnis & gallinæ sumas; & ita cum minori molestiâ evomes. 6. Non superdormiendum vomitoriis, nisi satis vomuerit æger. Nam ut ait *Hippocr.* de veratri purgatione. *Post veratri purgationem, corpora magis ad motionem, quam ad somnos adducenda, siquidem motu promovetur vomitus & purgatio, ut claret ex aphor. 9. & 15. f. 1. Unde & navigatio indicat, motu turbari corpora.* In peste si offertur ð unâ operâ supra bubonem maturativum, attractivum supra anthracem ponatur; alioquin instar scirrhi indurescit, & ad aliquot menses durities illa non remittit. 8. Sumtò vomitoriò abstinendum in cibò & potu, ab acerbis & acidis: sumenda sunt potius, dulcia & pinguia. *Senn.* l. 3. *Med. pract.* pag. 157.

XXII. *A vomitu.* 1. Qui vomunt non comedant, donec fortiter famefcant, ut optimè consulit *Avicenn.* 2. Post vomitum os & facies abluatur aquâ rosaceâ, aut vinò stypticò, aut acetò, aut aquâ tepidâ, quibus si aliquid cinamomi addideris nihil erit melius ait *Grûlingius.* 3. Si dolor capitis ex vomitione oriatur, apponatur capiti & fronti linteum madefactum aq. lactucæ & rosarum cum aceto & ol. rosarum, vel bibas jusculum acidulum: acida enim omnes reliquias ad inferiora præcipitant & deturbant. 4. Ventriculus, quum quodammodo debilitetur vomitu, est confortandus aromaticis, stypticis, vino, cinamomo, pyro saccharo condito, corti-

cibus mali citrii, aquã mastiches, vinõ adoratõ, aquã cinamo-
mi, cum succo citonior. destillatã. 5. Sequenti die à sumto
vomitorio si amaror in ore obveniat, cholagogum lene, pro-
bilis reliquiis evacuandis præscribendum. 6. Quibus õ of-
fertur, iis nec ante ejus assumptionem, nec post, nisi diebus tri-
bus elapsis, *venam* incidendam esse, monet *Grülingius*.

XXIII. *Signa vomitûs ritè expediti à Fernelio* notantur.
Quum sedatã vomitione pulsus plenus & validus existit, pla-
cidus somnus obrepit spontè, facilis & libera est respiratio,
appetentia bona, reliquumque corpus levius, utilis ea censerit
debet & consentanea. Contra verò inutilis & noxia, si con-
traria appareant.

XXIV. *Violentior vomitio*, si nimio perè fatigat, superve-
niatque vertigo, æstus, angustia, suffocatio, cordis aut ventri-
culi compunctio: aut si immoderatus exsuperat, atque vel
succos utiles, vel sanguinem elicit, vel ramenta, vel nigrum
quiddam fœtidum atræ bili persimile; lenienda certè & com-
pescenda, ait idem *Fernelius*. In tali casu si fauces & collum
obvolvantur lintheis oxycrato imbutis, vomitus cessat, vel
℞ absinth. menth. crisp. meliss. ā Mij coq. in f. q. vini &
aceti ad tertias. Fomentetur eo ventriculus. Emplastrum de
Theriaca, crustã panis, vel cataplasma de fermento & menth.
Oleum mastichis cum pulvere menthæ idem dant effectum.
Mirabile est, ait, *Avicenna* 3. can. Fen. 13. tract. 5. c. 12. *quod*
calesfactio extremitatum, sedet vomitum scilicet deorsum trabendo.
Cucurbitulã magna cum modicã flammã fundo ventriculi
imposita quoque prodest. Somnus & quies non solum omnes
evacuaciones præter sudorem sedat, sed & moderatus bilio-
sos temperat humores, crassosq; concoquit *Senn.* l. 2. m. *pract.*
p. 156. & 169. Aquam menthæ ad ℥ij semel atq; iterum sumen-
dam *Hartmannus* laudat. Succus cydon. crudus miraculosè vo-
mitû sistit, si ejus cochlear 1 vel 2 propinetur. Hisce ad nume-
rantur, Extr. zedor. absinth. melissæ, menth. pulegii. Præsenta-
neum remedium porrò est potus lactis cocti, cum pane, aut
cochlear unum sirupi de mastiche cum spiritu ejusd. vel the-
riacã antiquã. Cruentam vomitionem restinguere optimum:
alio-

alioquin propter spirituum copiosam projectionem, lipothymia & syncope sequuntur lethales: Si talis symptomaticè vel à forti medicamento præter spem accidat, optima est aqua radic. urtic. major, cum Spir. ☉ acidul. frigida quidem sumta. Nonnullis experimenti certi & arcani locò habetur, ut ab usu ☿, nimis vomenti Spir. vini parum propinetur. Spiritus cinnamomi vel macis cum succo cydoniorum destillatus hâc in parte non est contemnendus. Magisterium coralliorum rosatum, tinctura sassafras Minsichtii, non omnem eludent expectationem. His nihil proficientibus certissimum est remedium laudanum opiatum vel pilulæ ex opio.

XXV. TEMPUS etiam est considerandum, & quidem ANNI. *Æstate magis conveniunt vomitoria, quam hyeme 4. aph. 4. It. graciles, & ad vomendum faciles, per superiora purgabi, nisi hyems adsit, 4. aph. 6.* Intelligas tamen non ob morbum, vigilias, aut inediam graciles; sed qui naturâ tales sunt. Quod autem Hippocrates libr. de salubr. victus ration. ait, *sex hybernus mensibus vomitum esse ciendum, quum tempus hoc æstivo plus pituitæ gignat, & morbi circum caput, & regionem eam, quæ est supra septum transversum, excitentur, illud Galeno in comm. interprete, solum de pituitâ, quæ in ventriculo colligitur, intelligendum est.* Alias si totum corpus purgandum, æstate per superiora, hyeme per inferiora id fiat. Circa solstitia & æquinoctia, temporum mutationes maximas, maximè conveniunt vomitoria, inculcante id Aristot. problem. sect. 1.

XXVI. MENSIS. Luna crescens est eligenda: ibi enim magis luxuriant humores, teste *Bequino.* Eligas in primis signa ruminantia, ut arietem, taurum, capricornum, aut ut Luna sit in iis, aut quod unum, ex his signis sit in Horoscopo horâ vomitûs, dominusque ascendens aut in medio cœli, aut in exaltatione suâ, & quod signum, in quo comperitur Luna, sit fortunatum, & quod Planeta bonus sit in eo, aut bono aspectu aspiciens; & bonum est, esse lunam diminutam lumine in Tauro, & descendente, aut quod sit ea & dominus ascendens in cancro leone aut in virgine, & Luna applicans fortunis. Et caveas quadraturam Jovis maximè in Ariete, verba sunt

Has-

Hasfurti l. de cognosc & med. morb. ex corpor. cœl. posit. p. 38. Notatu dignum porrò est, quod *Hippocr. libr. de salub. vict. rat.* addit. At verò, ait qui, *singulis mensibus, bis vomere consuevit, hunc præstat duobus ex ordine diebus vomitum ciere, quam decimo quinto die.* Ita enim secundus dies priores reliquias extrudit & longius spatium intercedit relinquiturque naturæ ventriculo roborando. *Libr. 3. de vict. rat. idem habet:* humidiores ter in mense, vomitionibus utantur, sicciore bis.

XXVII. DIEI. Vomitus die potius quam noctu est provocandus. Ideò si noctu est exhibendum vomitorium ex mente *Avicennæ*, reddatur aëri igne lucidus. Tempore calidiorè, horâ diei minus calidâ, frigidiorè, minus frigida eligatur, ut habet *Caprius l. de febribus.* Tempus matutinum quidem, si jejunos adhuc sis, est optimum, si ramen vel corpus sit siccius, & ad vomendum nõ adeo facile: vel philtum, vel alia venena cibo & potu sint assumpta, etiã à cibo circa meridiem, vel alio tempore vomitus potest provocari. Eligatur hora, in quâ vomitus sine difficultate fiat i. e. duabus horis ante prandium instituat, ut monet *Hildanus.* Offerantur 2. vel 3. horis ante vel post pastum. *Grünling.* vid. hæc de re fusius quæst. 7.

XXVIII. MORBI. In chronicis hypochondriorum affectibus, quia non rarò ob ventriculi debilitatem crudi & pituitosi humores in primis viis cumulantur, sæpè necessarium à vomitu initium curationis facere; ne à præparantibus, aperientibus, vel purgantibus medicamentis, excrementitii illi humores ad penitiores partes rapiantur, atque obstructions pariant, ut *Sennertus de curat. melanch. hypoch.* monet. Hoc ramen de mitioribus vomitoriis intelligendum esse, aurumamus. Alias cum in hypochondriorum, tum in aliarum partium chronicis affectibus si fortioribus totum corpus purgandum, humores verò sint rebelles & vix vomendi conatu convincibiles, diligens adhibenda est præparatio, *Fernelio* adhortatore. *Quum enim,* ait, *vel ex corporis coformatione, vel ex humoris situ & crassitie, vomenti conatus augeri solet, aut faciei, oculorumq; rubor, capitis tensio, sudor multus & interceptus spiritus obtingere, idq; citra vacuationem ullam, non nisi adhibita præparatione vomitio tentanda.* Summoperè

moperè hoc obseruarunt veteres in hellebori albi exhibitione, ut supra fuit explicatum. Econtra verò in plurimis affectibus, ntpote *subitaneis fluxibus, catarrhis suffocativis, in peste, & morbis venenatis, in febribus, tam acutis quam intermittentibus,* in principio statim, materiã adhuc in ventriculo vicinisque partibus cavis hærente, & fluctuante, vomitus imperandus est. Quando enim hïc res cum morã ageretur, humorum fermentatio & corruptio totam sanguinis massam, spiritusque vitales, adeò invaderet, ut vel mortis, vel morborum incurabilium invictissima causa facilè suboriretur, ut benè *Sala* in *Hemetol.* monuit. In *febribus intermittentibus* interdum commodissimum erit in ipso paroxyfmi principio vomitum ciere. Confert enim is, ut refert *Celsus*, omnibus, qui ante febres horrore & tremore vexantur; namque in principio accessionum interpolatarum febrium præsentaneum solet esse auxilium, earum præsertim, quæ diutiùs prorogantur, in quibus omnibus aut ventriculus solet mali causam augere, aut ad ipsum ex partibus sibi proximis in accessionum principiis, peccantes humores delabi consueverunt. Imprimis autem in *quartanis* hoc observandum, quod non solum *Aëtius* serm. 3. tetra. 1. c. 125. docuit, sed & ipse *Hippocrates* l. de affectibus mandat. *Si verò quartana, ait, apprehenderit, siquidem impurgatus fuerit, primùm caput purgato, & interpositis tribus vel quatuor diebus, pharmacum sursum versus purgans dato in ipsã deprehensione.* Cæterùm si fieri debet solemnis expurgatio, qualis solet perfectã coctione celebrari, in non pronis potius spectarem remissionis tempus, in aliis verò, qui propensi, si plurimum natura turgere videatur, levi quodam irritamento & corporis præparatione, illi opem ferrem, ait *Mercatus*. Quòd olim etiam subinnuere voluit *Hippocr.* l. 4. acut. *Quod si os amarum fuerit, vomere confert & ventrem solvere.*

XXIX. FINIS ET USUS. Quæ non solum à morbis nos liberant, sed etiam ab iisdem præservant auxilia; præ cæteris palmam mereri videntur. In horum censu meritò locanda sunt vomitoria, quæ *Ægyptii* olim singulis mensibus, unà cum clysteribus, præservationis ergò exhibebant, diætæ errata, è quibus omnes ægitudines oriri æstimabant, evitaturi. Eadem

C

post

post *Aegyptios Hipp. l. 3. de vict. rat. & ex eo Avicenn. fen. 4.* multis modis commendant. Nimirum primæ coctionis vitia, non facile in cæterarum officinis corriguntur, apta nata semper inpejus abire. Ast hoc quicquid est vitii, nullo alio modo facilius, quam ipso vomitu excluditur, multosque morbos antevētit. Inprimis morbi ventriculi, ita præcaventur, ut & exinde prodeuntæ affectiones. *Fabric. Hildanus l. de tuend. valet. hoc admonere voluit, quando ait: si quando propter inordinatam victus rationem, aut intemperantiam (vix enim fieri potest, ut homo politicus exactè observet regulas Medicorum) cibus malè concoquitur, aut in ventriculo corrumpitur, quod ex nausæa & eructationibus acidis, aut etiam amaris & acidis & foetidis cognoscet, multum ad valetudinem optimam conservandam proderit, si semel in mense vomitum provocaveris. Vomitu enim bilis & pituitæ præcipue, & consequenter alii quoque pravi humores evacuantur. Hinc eos, qui frequenter vomunt, ut plurimum sanos esse videmus. Item in cent. Epist. 35. ait, vomitus si per intervalla provocetur, singulare est præservativum, tam in calculosis, quam in podagricis affectibus. Rulandus in curationibus empiricis, similem effectum attestatur. Idem de affectu hypochondriaco, scorbuto, febribus intermittētib, & multis aliis corporis humani calamitatibus, quod emeticis in tempore sumtis antevēti possint, affirmare nulli dubitamus. Nimirum vomitu excrementitii humores circa ventriculum & loca vicina hærentes non raro excutiuntur, qui purgantibus per alvum evacuari non poterant, ut testatur *Sennertus l. 1. med. pract. pag. 400.**

XXX. Ipsam morborum curationem quod attinet, præsentunt ibi vomitoria mirum in modum, cum evacuando, tum revellendo, discutiendo, & aperiendo. Est vomitus inprimis commune præsidium eorum, qui in stomacho continentur, corruptorum humorum, *Galen. comm. 4. in l. de vict. rat. in acut. l. 104. & l. 3. meth. c. 19. vomitu crebriore, si crucietur ventriculus, eodem arte instituto commodè sanatur. Vomitus enim curatur vomitu, alviq; fluor alvi fluore, ait, Quercet. in Diet. Polyhist. p. 329. Quod dubio procul hausit ex Hippocrate qui libro de locu in homine ait: Nam si quis homini vomenti aquam*

multam bibendam dare velit, eluentur ea, per quæ vomit, unâ cum vomitu. Quantum profit in *nausæ, cardialgiâ, anorexiâ & vertigine* à vaporibus è ventriculo adscendentibus, *Cous Præceptor* docuit 4. *aph.* 17. *Non febricitanti cibi fastidium, cordis dolor, vertigo senebricosa & oris amaritudo, purgandum per superiora significant,* Plerumq; autem hic sunt eligenda ea, quæ simul adstringunt, & roborant ventriculum. *Horatius Augenius* in cardialgiâ, à vitiosis humoribus os ventriculi morbi cantibus proveniente, vomitoria simul acrimoniam humorum obrudentia eligit, qualia sunt aqua calida, aut hydrelæum. l. 6. *epist.* p. 219.

XXXI. *Lac in ventriculo coagulatum,* quam pessima inducat symptomata, notârunt *Dodoneus* in *annot.* ad c. 17. *Bemivenii. Forestus* l. 18. *obs.* 13. Hic quidem *Matthiolus* vomitum repudiat eâ de causâ, quod lac coagulatum, si quis id vomitu rejicere conetur, in gulâ facilè hæere, & hominem suffocare possit. Verùm *Sennertus* cum lib. 6. *med. pract.* tum in *paralip.* vomitum præcipit, præmissis tamen iis, quæ lac coagulatum dissolvunt, qualia sunt acetum, oxymel, sperma ceti & c.

XXXII. In *cholera humidâ* *Septalius, Henricus ab Heer, &* alii eundem commendant. *Mercatus & Sennertus* hic monent, quôd à fortioribus omninò sit abstinendum, ceu ventriculo inimicis, & malum augmentibus. Locus tamen extat apud *Hippocratem* s. *epid.* quod quidam epoto helleboro cum lenticulæ succo sanatus fuerit. Hunc locum licet *Cælius Aurelianus,* exagitet, videndum tamen, quid ægri consuetudo vel constitutio admittat. Nimirum quæ cum fructu huic ægroto dantur, non statim omni conveniunt. *Hildanus* cujusdam meminuit matronæ, quæ à frustulo corii lardini fumo exsiccati, quod ante duos annos deglutiverat, in dolores ventriculi acerbissimos incidebat; vomitu autem iterum curata fuit.

XXXIII. In *singultu,* si materiâ in ventriculo hæreat, *Platerus & Massariis* idem auxilium extollunt

XXXIV. In *fame Caninâ,* pingua in principio locum habent, cum autem melius incipit habere æger, ea, quæ concoctioni resistunt imminuenda, & emetica potius adstrictoria eligenda censemus. In *picâ & vomitionibus* gravidarum leniora cum commodo offeruntur.

XXXV. Evacuant autem non solum ventriculum, sed & vicinas partes, mesenterium, pancreas, jecur, lienem, & vasa vicinia alia. Hinc meritò Galenus *de* evacuantiâ in *quartanâ* ad Glauconem, & in *quotidianâ* cap. 13. commendat. Alibi vomitum in *tertianis notis*, ita deprædicat, ut multos illius solius beneficio à febris omninò liberatos esse adfirmer. Creberrimis experimentis suis idem testatum facit Rulandus in *curat. empiricis*. Quid adversus diuturnissimam quartanam, elephantiasin, aut inveteratam psoram, corpore existente robusto, lenia proderunt medicamenta? quibus signatim casibus, ex iis similibus pensitatis prius, quæ oportet, libenter, (nisi quis doctus vehementer contrarietur) auderem helleborum, colocynthidem, & similia adhibere; nec non præparatum stibium: quod medicamentum, nisi rustica quedam timiditas impediret, plurimum foret ex usu, ait Mercatus. Hippocr. etiam l. de *vict. rat. in acut.* in causo eundem admittit.

XXXVI. In affectu hypochondriaco, scorbutò, ictero, cachexiâ, febre albâ virginum, jecoris, lienis & mesenterii obstructionibus, quid vomitu utilius? Ex dictis nimirum sedibus breves & expeditæ sunt in ventriculum viæ, per quas faciliori negotiò vitiosa saburra, quam per intestinorum ambages, & circuitus potest exturbari. Hali Abbas ut & Alexander Benedictus in *imminente hydrope* vomitum tentandum, in confirmatâ verò fugiendum esse præcipit.

XXXVII. Revellunt porrò manifestè ab intestinû, renibus, partibus genitalibus, utero, lumbis, & pedibus. Profunt itaque in dolore colico, si ventriculus & superiora intestina, sunt vitiosis succis repleta, ita enim transitus futuris dejectoriis paratur. Inferiora verò si laborant, frustra tentatur vomitus & cum certâ ægroti pernicie, & volvuli metu instituitur, ut benè monet Septalius.

XXXVIII. Auxiliò porrò sunt in diarrheâ, & dysenteria, nephritide, priapismo, dysuria, dolore ischiatico, nimio mensium fluxu, podagrâ & c. In alvi fluxibus naturam sæpe numero ducem habemus, quod arti Dictator 6. aph. 15. hisce notare voluit. Longo alvi profluvio laboranti, spontè vomitus superveniens morbum solvit: quod Lygeo interprete fit ratione revulsione & retra-

retractionis humorum, qui deorsum vergebant. *Hildanus*, idem in dysenteriâ, in libell. de dysent. imitandum esse autumat. *Vomit*us, ait, summoperè in dysenteriâ convenit, præcipuè iis, qui eum facile ferunt, eiq; assueti sunt. Materiam enim, qua ad intestina fluit, diver- tit, ventriculum mundificat, imò etiam ex mesaraicis venis & splene, humores non nunquam educit, & fluxum sistit. Eligantur mitiora, & quidem corpore prius evacuato, ne acris & maligna mate- ria ad ventriculum regurgitet, ipsum lædat, fastidiumque cibi inducat. Imò & ventrem constipatum solvunt, quod tradidit *Hippocr.* l. 2. de Diata, his verbis: *Ventrem compactum vomitus sol- vit, & egerentem magis quam oportet, sistit, illud quidem humectans, hoc verò siccans, quum igitur quis alvum sistere velit, avidè devoratum cibum evomere oportet, priusquam humescat, & infra detrabatur, & magis acerbis & austeris edulis uti. Ubi verò solvere quis alvum velit, plurimo tempore cibi morari confert, & acris & salsis & pinguibus ac dulcibus, tum cibis, tum potionibus uti.*

XXXIX. In calculo renum, si renum affectus, ait, *Galenus* 7. class. de calc. ren. fol. 387. subito invadat, & qui laborat cibo nuper refectus sit, cibiq; adhuc sint incocti, sicut agrotus eos ingessit, aut semicocti, vel succorum multitudine, corpus gravatum habeat: oportet ante aliam curationem vel potius mitigationem, nisi quicquam im- pedimento sit, vomitum provocare. Hoc consilium *Galen*i secuti sunt *Paræus*, *Alexander Benedictus*. In renum ulceribus idem auxi- lium *Avicenna* & *Aëtius* præscribunt.

LX. In Lumbricis vomitoria è ☿ & ⊕ non omni care- bunt commodo.

LXI. In priapismo quoque *Galen*i habemus calculum: quod autem, dicit, in priapismo vomitoriis potius medicamentis, quam alvum subducentibus sit utendum, in lingue vitii contra: id ex parti- um situ est manifestum. Hic enim vomitu sit revulsio.

XLII. In imminente podagrâ, & arthritide *Laurentius* ex aliorum mente vomitum vehementer extollit. *Aristot.* quoq; sect. 5. probl. ait, vomitum recreare hominem, & liberare a las- situdine.

XLIII. In stranguriâ & Ischuriâ *Rulandi* testimonio pro- stant. Vid. centur. 4. c. 31. & 33. & in urina retentione, *Salam. Hil-*

dantus in observ. chirurg. f. 563. præstantissimum præsidium esse vomitum in mictione ardenti & viri doctissimi scribunt, & experientia ipsa me sæpius edocuit. Vomitus enim humores biliosos ex hepate & venis mesaraicis potenter revellit, & evacuat. Victor Trincavellus Galeni autoritate idem attestatur. l. 3. consil. f. 515. & præterea in penis & vesicæ ulcere vomitum maximoperè utilem futurum adfirmat, ibid. f. 507. Alsharavius insignis Medicus hoc memoriæ reliquit: Vomitus scribit, utilior est laxativo ad eradicationem grossorum humorum, qui sunt ab infragenu & usq; ad pedem, sicut in dolore ischatico & dolore genuum & similibus;

XLIV. In nimio mensium & hæmorrhoidum fluxu leviora, Galen. in comment. epidem. suadente locum habent. Fortiora expultricè uteri juvant, menses, molam, & fœtum etiam mortuum, Sala approbatione excludunt. Notandum tamen, quod Minsicht monet, nim. tam gravidis, quàm aliis etiam mulieribus, & virginibus, menstrui retentione laborantibus, quæ non ex viscerum impuritate, sed ex solâ venarum matricem ingredientium obstructione existit, vomitoria omninò vitanda.

XLV. In medii ventris affectibus, ut in pleuritide & anginâ, Rulandus, in asthmate id. Rulandus & Riverius: in catarrho suffocativo & tussi, Sala, interdum in Erysipe late pulmonum Hippocr. 5. de morb. f. 1. & ipsâ phthisi Hippocr. epist. de verat. purg. & Sala: hoc remedii genus deprædicant. Rulandus in similibus casibus, ut in anginâ & pleuritide, suam aquam benedictam vocat ruptorium vomitorium, quum rumpat, & aperiat abscessus & apostemata, in quæ plerumque degenerant inflammationes, vid. apud eundem c. 1. cur. 14. c. 14. Cent. 2. c. 52. 62. Cent. 3. c. 18. c. 4. c. 11. & 16. Cent. 9. c. 14. 35. 36.

XLVI. Marcus Aurelius Severinus l. de reconditâ abscessuum naturâ in padanchone seu pestilente ac præfocante pueros abscessu in tonsillis exorto, emeticum Aërii ex elaterio, spumâ nitri & sinapi præscribit.

XLVII. Emeticorum usum in medii ventris infirmitatibus

bus his fufius fubinnuere voluit Hippocras. quando 4. aph. 18. ait, *supra Septum transversum dolores, quicunq; egent purgatione, per superna purgandum esse significant, quæ verò infra sunt, infra.* In cordis palpitatione febribus ardentibus Sala eadem propinat.

XLVIII. In capiti affectibus virtute suâ non carent. In apoplexiâ, melancholiâ, & maniâ quantum præstent, ex quæst. annexis erit manifestum.

XLIX. In vertigine, cephalalgia aliisque per consensum ex hypochondriis affectibus, quid vomitoriis convenientius Galenus certè l. de curand. curat. ad Glaucon. c. 15. quando dolores capitis à bile aut pituitâ aut utroque humore à ventriculo coarervato proficiscuntur, vomitum præscribit. Dolor verò capitis si ex ipsius cerebri vitio proveniat, vomitus, monente Foresto, Arculano & Amato Lusitano vitandus. In vertigine ducem habemus Hippocratem 4. aph. 17. ut & in epist. de verat. purgat. Intellegenda tamen est ea, quæ fit à vaporibus è ventriculo & hypochondriis elevatis. Talis vertigo cum fructu curata fuit à Platero in observat.

L. In rabie & hydrophobiâ helleboratâ & antimonialia Sennertus deprædicat. In caro & lethargo vomitum quidem Mercurialium damnat, sed eundem cum Avicennâ, Sennertô & Petreô meritò expetimus, easdem rationes, quæ de melancholiâ & maniâ in quæst. attulimus, attendentes.

LI. In Epilepsiâ \ominus \oplus & aquam benedictam Quercetanus in tetrad. singulari encomio dignatur. Sennertus hinc monet, quòd vomitus solùm in epilepsia per consensum ex utero, ventriculo & c. conveniat. Thomas Erastus quoque disp. 4. contr. Parac. pag. 130. addit: si quis facilè absque vehemente capitis commotione, sive corporis quoque & ventriculi lancinatione vomere solitus, aut morbi causam in ventriculo aut propinquis ei partibus colligat, ei non interdico vomitum, Zacutus Lusitanus tamen de prax. med. s. l. obs. 20. testatur se plures etiam natu grandiores epilepsiâ correptos vidisse, quibus plurima auxilia, tam occultâ, quam manifestâ qualitate agentia, adhibita nihil profuerint, solus a. sirupus, è succo fol. viridium nicotianæ & melle parat9, qui simul vomitivus est, sanitatē reduxit, assum-

assumtus ℥iij quantitate tribus horis à cœna. 40. diebus.

LII. In *coryzâ, catarrhû, convulsione & paralyfi*, si ventriculus & primæ viæ sint repletæ, parili ratione commodo erit. Linguae quidem paralyfin *Mercatus & Rondeletius* excipiunt. *Celsus* tamen l. 4. c. 11. ad linguae resolutionem curandam crebris utitur vomitoriis. *Forestus* etiam, si ab assumpto cibo malum ingruat, nil mali metuit à vomitione.

LIII. A moderatâ vomitione, *oculorum aciem* juvari *Alexand. Bened.* l. 13. *de re medicâ* dicit. In suffusione, in ventriculo si restagnet vitiosa saburra, *Mercatus & Rondeletius* hoc remedii genus pluris faciunt. *Hippocr.* l. 5. de morb. vulg. oculi dextri coruscationem, cum temporis dextri dolore conjunctam vomitu quoque in *Phanice* curavit. Verùm cum vomitus frequens visum lædat, teste *Foresto lib. 21. observat.* non crebrò id fiat, & eligantur solummodò mitiora emetica, ne fortioribus materia penitus in oculum trudatur.

LIV. In *aurium affectibus* mercurialis vomitum provocantia reddit suspecta, *Hippocratis* autoritate permotus, qui *lib. de locis in homine*, in auri dolore & suppuratione vomitum nil conferre adfirmat. Hic etiam consentit *Trincavellius l. 1. consil. f. 211.* In strumarum curatione *συγασμοί* i. e. vomitus matutini & jejuni *Laurentio* placent.

LV. Tandem in *ipsâ peste, febre ungaricâ & aliis malignis*, item *variol. morbillû*, cum *Sala*, tum aliorum historiae ante oculos sunt ponendæ. In *lue venereâ* vomitoria è mercurii stemmate oriunda, strenuo suo funguntur officio.

LVI. *Venena si fuerint assumta* nihil magis proficuum vomitu, vid. *Hildan.* in obs. f. 426. *Valesc. de Taranta.* ait, si contingat aliquem hausisse venenum, detur aqua cum oleo communi, vel *sesamino vel nucum vel rutæ*, in tantâ quantitate, ut venter repleatur, deinde fortis provocetur vomitus, digito ori imposito, vel plumâ oleis istis imbutâ continuando, donec totum rejiciatur. In vomitu enim tota vi curationis consistit. Postea tamen dentur alexipharmaca. Convenientius forsitan in tali casu aqua benedicta daretur. In *philtro*, quo ad amorem conciliandum, nefariæ solent uti meretriculæ, nihil præstantius, quam ut quamprimum levissima

ma

ma suspicio suboritur, ea omnia, quæ vel ex esculentis vel potulentis assumpta, per vomitum rejiciantur. Quanti in morbis totius corporis Hippot. vomitoria fecerit, inprimis ex ejus *Epist. de veratri purgat.* adparet: ubi inter cætera, ait: *Medicamento minime decolores purgandi, raucedinosi, lienosi, sanguine defecti, suspiriosi, & tussi sicca vexati, siticulosi, flatulenti, quiq; præcordia distenta habent, & latera & dorsum, qui stupore affecti hebetius cernunt, quibus aures sonant, quiq; urinam minime continent, neq; qui morbo regio laborant, & alvo sunt debili, quibus sanguis erumpit, aut qui tubercula habent. Quod si medicamento purgandum videatur, veratro per superiora se cure purgato, per inferiora minime.* Philosophorum princeps *Stagirites*, vomitus quoque præstantiam indicare voluit, quando sect. 2. problem. eum magis, quam sudores corpora levare, attestatur.

FORMULÆ VOMITORIORUM SUNT
ADDENDÆ.

PULVERES.

℞ pulv. rad. asar. ʒß.
⊖ ejusd. gr. v.
ol. Sem. sambuc. giiij.
M. D. in chartâ.

℞ Cremor ☿. ʒj.
vitr. ♂ ritè corr. gr. ij.
ol. fanic. gij.
M. D.

℞ pulv. turion. sambuc. ʒj
g. g. gr. v.
Macis giiij.
M. D. in chartâ.

℞ ⊖ ⊕ li.
sacchar. candi ā ʒj.
cinamomi g. v.
M. D.

Nota: in febribus ⊖ ⊕ potest dari in aq. cichor. centaur. minor. carduiben. In lumbricis in aq. tanacet. hyperic. decoct. C. C. in catarrhis in aq. meliss. major. In epileps. in aq. fl. tiliæ præon. & sic porrò ubivis vehiculum specificum eligendum, quod idem cum infuso croci metallorum observandum.

AQUAE VOMITIVAE.

1. *Aqua benedicta Rulandi, quam habet Brendelius.*

℞ Vitri ♂, per se sine additione facti, ʒj vini generosi vel mal-
D var.

vat. ℞ij vel ij. macer. in loco non admodum calido, donec cutim contrahant. (Hæc cutis nihil est aliud, quam residua portio Δ arsenicalis, à quâ oritur illa vehemens vomitio, relicta in calcinatione Θ) cute eâ per filtrum separatâ & abjectâ, longè mitius operationem suam exercet.

2. *Aqua benedicta Quercetani.*

℞ Croci metall. ver. ℞j. aq. carduiben. ℞ij vel iij cinamomi
℞ macera per biduum vel triduum, deinde transcola. Dos. ℞℞
vel plus.

3. *Aqua vomitiva Hartmanni.*

℞ Vitri Θ hyacinth. more Matthiol. parat. & in pulver. subtil. redact. Θ carduib. \bar{a} gr. XL. aq. veron. ℞v cinam. g. XXX. Infund. in B. tepido per hor. 24. colentur per chartam & serventur Dos. ℞iij jv vel vj pro constitutione ægri.

4. *Aquaemetica Grülingii.*

℞ Croci metall. ℞j. Infund. hor. vij in loco calido in aq. carduib. ℞xxij℞ add. pulv. cinam. ℞℞ Spec. liberant. ℞ij Cola per chartam bibulam & iterum adde fir. de cortic. citri ℞i℞ viol. caryoph. \bar{a} ℞℞. Stent iterum per 2. dies: colentur & serventur, pro usu. Hæc aqua non diu durat, ideò in minimâ quantitate paranda. Dos. ℞ij vel ℞iij.

5. *Aqua vomitiva antefebribilis Quercetani.*

℞ Aq. fragor. centaur. \bar{a} ℞ij mellis ℞ij vel iij. Misc. & vase aperto sepeli in acervum formicarum, ubi formicæ satis copiosæ irreperint, vase optimè agitato, capitello imposito, in cineribus fiat destillatio. Dosis est semicochleare, ingruente paroxysmo.

6. *Plateri ex nucibus viridibus.*

℞ Nuc. jugland, circa festum Johann. collect. rad. raphan.
 \bar{a} ℞ij.

āpij. aceti vin. destill. piij. conquass. nucibus, & raphano fiat digestio, leni calore per dies 5. vel 6. postea destillata per alembum ex M. B. Dos. ʒiij ad ʒʒ, acue, si libet, cum aq. bened. dimidiā dosi vel 3. aut 4. parte.

7. *Aqua cum aliis mixta.*

℞ Aq. nuc. vir. ʒij.
oxym. simpl. ʒʒ.
ol. comm. ʒj.
El. diaf. ʒij.
M. D.

℞ Aq. flor. genist. ʒij.
sir. acetos. s. ʒʒ.
ol. raphan. ʒʒ.
arill. sambuc. g. x.
M. D.

DECOCTA VOMITIVA.

1. *Quercetani in Apoplexiā*

℞ rad. asar.
sem. raphan.
aneth. urtic. ā ʒiij.
Coq. ad ʒv. in decoct.
col. solv. oxym. s. ʒij.
M. F. vomitivum.

2. *Sennerti in paralipom.*

℞ Decoct. nicot. ʒ4.
ol. amygdal. ʒj.
M. D. tepidē.

INFUSA.

1. *Sennerti in melancholiā
byochondriacā.*

℞ succ. raphan. expr. ʒ4.
Hydrom. ʒiij.
In quibus mistis macerentur
per noctem rad. asari contus.
ʒij manē colentur & expri-
mantur. Liquor tepidē propi-
netur.

2. *Vomitorium Conradi-
num.*

℞ radic. bryon. cyclam. ā ʒij.
helleb. alb. ʒj
has radices probè mundatas,
lotas vicissimque exsiccatas
in umbrā comminue in-
pulverem, affund. spir. vi-
ni ad super eminentiam duo-
rum aut trium digitorum.
Stent in B. per aliquot dies.
D 2 dein.

deinde lentè destilla per alembicum, faeces exime, & commi-
nue. Spiritum vini antea abstractum, iterum affunde, digere &
relinque aliquandiu in vase calido probè obturato, postea fil-
tra, & habebis verum vomitorium. *Usus.* Pennæ extremas
plumas hâc aquâ imbutas immerge in haustum vini, postea bi-
be, & brevi evomes.

3. *Solenandri ad preservationem ab ar-
bitride.*

℞ Radic. beton. ℥jß raphan. ℥j sem. atriplic. aneth. ā ℥ß aq.
℥jß coq. ad ℥j add. oxym. simpl. ʒ4. vel oxym. scill. parum.
mis. bibatur repidum.

SIRUPI.

De peto Quercetani.

℞ succ. peti ℥4 hydrom. ℥j oxym. simpl. ʒ4 omnibus simul
mistis in matraccio vitreo capaci F. Digestio in B. M. per 2. vel
3. dies. Interea temporis in fundo vasis crassior sedimenti por-
tio apparebit: tunc per inclinationem cautè separabis purum
ab impuro. Iterum perge digerendo, & quod residet, sepa-
ra, tandem adde sacchari ℥j & ad sirupi consistentiam coque.
Usus in primis in pulmonum affectibus.

2. *Grülingii.*

℞ Croci metall. ʒj infund. per noct. in aq. rosar. fragrant.
carduib. ā ʒv add. pulv. cinamomi ʒij galang. caryoph. ma-
cer ā ʒij croci ʒj digerantur omnia in vase clauso horis 24.
atq; in colaturâ dissolvantur sacch. ʒviij, quæ diligenrer co-
quantur, ad sirupi consistentiam. Dosis ʒj vel ʒjß.

3. *Hartmanni.*

℞ Vitri ō vel croci ejus ʒvj aq. rosar. fragrantiss. ʒjß pulv. ci-
namomi ʒij digere per horas 24. in loco calido, in colat. dissol-
ve sacchar. albissimi ʒiiij coq. l. a. F. syrupus. Dos. ʒj ad ʒij
vel iij, superbibito jusculo gallinæ sine sale.

CON-

CONSERVÆ.

℞ Conf. rofar. ℥vj
 pulvi rad. afar. ℥℞.
 fl. ♂ correct ℥ij℞.
 ol. anis. g. xij.
 M. Dos. ℥℞ superbibatur
 jusculum tepidum.

℞ Ocul. vel gemmar.
 sambuc.
 sacchar. fini ā ℥j℞.
 F. l. a. Conserva.
 Dos. ℥ij vel ℥iij.

ELECTUARIA.

1. *Grülingii.*

℞ Vitri ♂ ritè præpar.
 Theriac. Androm. ā ℥ij.
 Spec. diarrh. abbat.
 diamarg. ā ℥℞.
 nuc. moschat. mastich.
 cortic. citri, corall. rubr.
 præpar. ā ℥ij.
 caryoph. ℥ij℞.
 ol. anis. fœnic. carvi
 citri, cinam. ā g. v.
 M. F. cum myvâ cydon. ele-
 ctuar.

2. *Diasarum Fernelii.*

℞ Sir. menth. violar. ℥viiij.
 coq. ad mellis crassit.
 add. rad. pepon. arefact.
 Sem. raphan. & urtic.
 macerat. in aq. rofar. &
 arefact. & tritar. ā ℥j.
 rad. afar. pulver. ℥ij.
 cinam. sem. fœnic. ā ℥iij.
 M. F. Elect. Dos. ℥ij vel ℥iij.

3. *Diacoccognidii Mesuae.*

℞ fol. thymæl. præp.
 par. x.
 carnis cydon. in aceto
 coctæ, sacch. ā p. 80.
 manna p. 40.
 ol. ex coccognid. p. xij.
 sacch. & manna solvantur in
 sero lactis, cui infusus, erit.
 agaric. p. xxx.
 Dos. ℥℞.

4. *Andrea.*

℞ cortic. rad. thapsiæ ℥ij.
 cartam. excort. ℥iij.
 carell. gumm. arab. ā ℥j.
 succi cucum. asinin. ℥ij.
 mellis asari q. s. pro incor-
 poratione F. Elect.
 Dos. ℥℞.

D 3

5. Pa.

s. Patriarcha.

℞ Thaps. lb.
croci Afric. s. cartham. ℥iv.
asari, cinam. ā ℥ij.
gran. cataput. ℥ij.
mellis q. s. M. F. Elect.

6. Aliud.

℞ medull. sem. cartham.
pulv. rad. asari ā ℥j.
cinam. ℥β.
Vitri ♂ correct. ℥β.
F. cum mell. Electuar.

EXTRACTA ET PILULÆ.

Grülingii.

℞ Rad. asar. esul.
cortic. intern. samb.
jugland. ā ℥j.
croc. metall. ℥β.
F. Extract. cum aq. vitæ
mulier, adde
ol. anis. fœnic.
carvi ā gij.

F. pilulæ ad magnit.
pisor. Dos. ā ℥β ad ℥j.

℞ Extract. Esul. ℥β.
♀ vitæ ♂ lar. gij.
ol. caryoph. g j.
M. F. pilulæ.

Item.

℞ Coagul. asar. ℥β.
♀ vitæ gr. iij.
ol. cinam. g j.

M. F. pilulæ.

Item.

℞ Gumm. G. gr. iij.

♂ ♀ gr. iij.

cum succ. asari

M. F. pilulæ.

EMULSIONES.

℞ Amygd. dulc. ex cort. ℥j.
sem. raphan.
esul. ā g. v.

F. cum aq. anethi
Emulsio

℞ Amygd. dulc. ℥β.
Aq. nucum. virid. ℥ij.
vomitor. Hartman. ℥iij.

F. l. a. Emulsio.

℞ Amygd. dulc. ℥j.
sem. genist.
Ebuli ā ℥β.

F. cum aq. fl.
sambuc. & genist.
Emulsio

℞ Sem. 4. frig. maj. ℥j.
anethi. ℥ij.

F. l. a. emulsio
Educor. cum syr. de peto
Quercet. ℥ij vel ℥ii.

OXY-

OXYSACCHARUM EMETICUM.

Minsichtii.

℞ Croci metall. absinth. ℥β

Cass. lignæ ℥ij

lign. aloes

rad. angelic. ā ℥j

rosar. rubr. ℥β

M. infundantur in aceto fl. tunic. ℥xv. Stent in infus. per 24. horas, filtrentur & sacch. candi tantundem addatur. Dos. ℥β ad ℥iij. Prodest in capitis affectibus, anginâ, pleuritide, peste, dysent. venenis haustis. &c.

QUÆSTIONUM CONTROVERSARUM.

I.

An vomitoria sint rejicienda?

Imperitia malus thesaurus est medico: nam & timiditatis & audaciæ mater est, ait *Coorum Esculapius l. 1. de lege*. Clarâ hoc veritatis luce in *Spasmodicis* chemicorum medicamentis hodiè radiat; quæ multi audaculi nimium ineruditorum chemicarum fabulis fidentes, sæpè temerè posthabita omni medendi methodo & lege, omnibus sine discrimine obtrudunt, ad incitas ægrotorum quosdam detrudunt, terroris & metûs exempla aliis dantes imperitis, omnia deinde per omnem ætatem spagirica remedia ceu præsentissima deleteria exsecrantibus. Eandem calamitatem olim experta fuere vomitoria, quæ licet essent tutissima; ab *Asclepiade* tamen sunt damnata, & è sanitatis cum tuendæ, tum recuperandæ præfidiis seclusa. Alii *ἐπιστροφόβοι*, rescissâ experientiæ fide, omnem quoque vomitionem medicorum civitate ejiciunt, solò rationum patrociniò armati. Quia clamant,

1. Quicquid ventriculum subvertit, & coëctricis facultatis vires infringit, illud est fugiendum.

Vomitoria ventriculum subvertunt, & coëctricis facultatis vires infringunt.

E. Vomitoria sunt fugienda.

2. Quic-

2. Quicquid rumpit vasa, excitat tinnitum aurium, oculis nocet, aliaque symptoma profert, illud non est suadendum.

Sed vomitoria rumpunt vasa, excitant tinnitum aurium. &c.

E. non sunt suadenda.

3. *Græci & Ægyptii* quidem in magno habebant æstimo vomitoria; ast eorum regiones, utpote non procul à tropico cancri sitæ longè erant calidiores, copiosioris bilis feraces, ideoq; vomitoria facilius ferentes. In nostro verò climate,

Si constitutio aëris frigidior, & pituitæ proventus uberior, tutius purgantia, *κάρω*, quam *ἀνω* offerri poterunt.

Sed verum prius. Ergò & posterius.

Probatio ex ipso *Hippocrate* est clara, qui sapius, pituitam inferior, bilem superius evacuandam mandat. Nimirum humores graviores, quales sunt pituita, & melancholia, innatâ gravitate, facilius ad intestina quam ad ventriculum conscendunt.

4. Quæcunque partes à venâ portâ latiores, & copiosiores venas & arterias recipiunt, per illas commodior evacuatio cum hypochondriorum, tum totius corporis fieri potest.

Sed intestina à venâ portâ latiores & copiosiores recipiunt. E.

5. Quæcunque partes à naturâ pro recrementorum receptaculo sunt fabrefactæ, per eas ceu ignobiliores commodius quoq; vitiosi humores expurgabuntur.

Sed intestina à naturâ pro recrementorum receptaculo sunt fabrefactæ.

E. per ea ceu ignobiliora commodius quoque vitiosi humores expurgabuntur, & per consequens vomitoria non nisi contra naturæ ductum instituuntur. Nimirum non per partem nobilem vitiosi humores debent educi, si per ignobiliorem poterant mitti.

6. Quicunque modus purgandi majores requirit vires, ille est vitandus. Sed purgatio per vomitum majores requirit vires. E. purgatio per vomitum est vitanda Ma-

Major est clara, Minor probatur ex Hippocr. qui, ait: purgandos esse robustos quidem supra, debiles verò infra.

Verùm enim verò productæ in medium rationes tanti momenti non sunt, ut vanitatis veterum convincant inventa. Natura cùm in brutis, tùm in homine, imò & in crisi morborum sæpè numero cum magno sanitatis & conservandæ & recuperandæ emolumento vomitiones spontè instituit. Quidni itaque & idem à naturæ ministro, medico, arte esset imitandum. Respondemus itaque

Ad 1. Equidem vel cibum, vel humorem alium vomitu rejectare, non omninò naturæ est gratum & acceptum: siquidem ventriculi partes magis naturales erant cibum recipere, digerere, & pro toto corpore alimentum parare. Haut invitus quoque hic quasi communis totius corporis famulus, demando hoc unicè fungeretur officio, modò ne gulæ peccata luere, & vicinarum partium purgamenta interdum hospitio suscipere cogeretur, alienæ libidinis mancipium. Proinde si vel errore diætæ, vel vicinarum partium vitio, crudis humoribus repletur, in actione suâ turbatur; illud convenientissimum erit remedium, quod citissimè eum ab illis crudis succis liberat. Sed vomitoria hoc præstant. E.

Istâ subversione, quæ in actu vomendi evenit, potius robur, quàm imbecillitas ventriculo relinquitur, seclusis nimirum humoribus & cruditatibus naturalem tonum & temperiem destructuris. Negamus itaq; minorem.

Ad 2. iterum venit neganda minor. Nam si ii vomant, qui ad vomitum sunt proni, nec laborant cephalalgia, vel surditate, aliòve symptomate ex solo vitio cerebri: nec vasorum ruptio, nec alia incommoda sunt metuenda; quum natura sapiculè sponte eum, cùm in morbis, tùm in statu sanitatis cum fructu instituat.

Ad 3. In *Ægypto* quidem & *Graciâ Germani* non vivunt, at nihilominus pergræcantur, voluptuariâ ingluvie ventriculi tonum evertentes, vim coëtricem cruditatibus, humoribus biliosis, pituitosorum, acidorum & nidorosorum infarctu debellantes. Certè his diætæ delictis commodius vomitu me-

E

demur,

demur, quam crebrioribus purgationibus. Imò licet temperatè in nostro vivamus climate, & ob aëris hiberni inclementiam pituitæ copia solùm generetur, à purgatione tamen per superna minimè arcemur vel ipsius *Hippocrati* præcepto, quod *lib. de sal. vict. rat.* habet, & antea fuit allegatum. Nimirum quicquid vitiosi humoris in ventriculo fuit collectum, sive sit grave, sive leve, breviori viâ & facilius per os, quàm per intestinorum ambages & circuitus ejicitur.

Ad 4. Concedimus quidem, quod per arterias ad intestina tendentes, commodè totum corpus queat evacuari. Verùm si vitium hæreat vel in orificio, vel in tunicis ventriculi, vel validæ adsint obstructions in venis circa ventriculum & lienem; certè plus commodi ferent vomitoria fortiora, quam purgantia. In conatu enim illo vomendi; quando ventriculus & vasa annexa validè moventur, sæpè ea avelluntur & rejiciuntur, quæ antea omnium purgantium vim eluserant, quemadmodum hoc firmissimâ & quotidianâ experimentorum fide corroboratur, & *Sennerti* testimonio in *Institut.* confirmatur. Imò interdum purgantia ob læsas partes inferiores, non tutò exhibentur, & vomitus etiam vehementior ad revulsionem instituendam desideratur, ut fusiùs, de fine s. usu vomitoriorum fuit indicatum. Perpendendum insuper, fortiora vomitoria non ventriculum solùm, sed & intestina superiora & vasa circa ea, imò jecur & lienem simul expurgare, ut ex usu ò manifestò apparet, copiosam bilem, aliosque humores, *à vno* exturbantis. *Major* itaque hujus argumenti, non in universum est vera. Neque etiam fortiora vomitoria semper sunt fugienda, meritò enim *Quercet. in pharmac. reslit.* eos naturæ adulatorum vocat, qui imbecillioribus saltem & invalidis præfidiis eam frustra propugnare conantur, nec potentibus satis armis, illius hostem ferocissimum adoriri cogitant; qui interim velut invictus cuncta illorum eccoproctica, imò vomitoria blanda ridet & respuit.

Ad 5. Negamus minorem. Intestina, imprimis tenuia, eandem cum ventriculo obtinent dignitatem, coquendi munere fungentes. Tutius itaque interdum erit vitiosos succos
statim

statim ventriculo per vomitum ejicere, quam per cæteras partes chylificationi inservientes, educere torminaque excitare.

Ad 6. Minor non in universum est vera: siquidem mitia, & benigna vomitoria, adeò validas vires non requirunt. Fortiora autem licet virium robur quodammodo desiderent, non tamen statim planè sunt proscribenda, quum interdum extrema mala, extrema requirant remedia, ipso Hippocr. teste. Argumentum proinde ita vero erit consentaneum: Quicumque modus purgandi majores vires requirit, ille non cuivis ægroto temerè præscribendus, sed vomitoria fortiora majores vires requirunt. E.

Galenus quam præclara in publicam totius corporis utilitatem à vomitoriis extent officia, multis quidem in locis abundè indicavit, sed elegantissimè l. 5. de us. part. ubi ait: Bene igitur ab illis, nimir. antiquis, sine totius noxâ, ventriculi purgatio est præscripta, & nature ipsi ventriculi quidem purgationem minimum habituram negotii judicatum. Intestinorum tum difficilem, tum etiam noxiam non nihil, occasione cacochymie ipsi animali fore: nam quum facilis & moderata obtigerit, saluberrima est, & purgationum omnium præstantissima: noxios quippe humores ex ipsis fontibus sinceros elicit & evacuat omnia, quæ in ventriculi cavitate in ejusve tunicis hærent. Illuviem inprimis expurgat è præcordiorum membranis è cavis jecoris ac lienis, & ex pancreatâ omnium generis superfluos humores, sinceros elicit, quos plerumq; neq; hiera, neq; aliud vehementissimum in alvum turbare potest. In ventriculum enim ex his locis via breves & expedita magis, quam in alvum directæ sunt, per quas facilis est vomitio. Quamquam autem primum ab interioribus evellit, consecutione tamen caput reliquumq; corpus levat. Quocirca omnibus opitulatur affectibus, qui à præcordiorum impuritate ortum acceperunt: languenti appetentia, nausea, cibi fastidio, vomitioni crebra, ventriculo præcordiisq; distentis, ictero ac cachexia, febribus intermittentibus, hemicrania, vertigini, epilepsia, suffusioni, omnibusq; capitis affectibus, qui præcordiorum sympathia contracti sunt, & quos è præcordiis in reliquum corpus effusa impuritas prætulit. Ex quo Galeni loco luce meridiana clarius apparet, vomendi rationem non solum pari cum purgantibus, verum etiam majori utilitate juvare. Im-

primis' autem magnas *Helmontio* debemus gratias, quod licet clysteres, & omnia alia *κατα* purgantia è foro medico eiecerit, vomitoriis tamen aliquem locum l. de *puerili Humoristarum vindictâ* concesserit: ibi enim, quòd olim vomitoria *vitriolata Belgis* sæpè cum fructu dederit, manifestè attestatur. Non tamen diffitemur, in generoso hujus auxilii usu summâ medici prudentiâ & circumspèctione opus esse, & illud sapientis, de quo *Galen. 12. m. c. 1.* attendendum, *Ne quid nimî.* Creber enim vomitus stomachum debilitat, viscera validâ concussione enervat, caput replet, surditatem inducit, pectoris & pulmonum vasa rumpit.

Deinde videndum, qui per vomitum evacuari debeant, & qui non. Nam cogere eos, qui vomere nequeunt, aut non debent, absurdum est, ait *Galenus*. Ideoque sequentes regulæ observandæ. Initiò quidem ob naturalem constitutionem ad vomitum non sunt cogendi:

1. *Exactè sani*, ut colligere licet ex *4. aph. 16.* Hinc etiam *Aristot. sect. 4. probl.* ait, quod evomere non oporteat, nisi resurgente corpore urgeat.

2. *Obesi*, ut & ii, quibus *pectus strictum est, longum collum, & spiritalia debilia*; facillè enim iis vasa pulmonum rumpuntur inter vomendum, ut & illis, qui *agrè vomunt*. Hinc *Hippocr. 4. aph. 7. agrè vomentes*, ait, & *moderatè carnosos, quos ὀσάγους*, appellant *Græci, infernè purgato, devitans astatem*.

3. *Senes* non temerè fortioribus vomitoriis cruciandi. *Begvinus* enim notat, quod *♀ vitæ* in iis ani procidentiam causetur.

Deinde ob morbum à vomitu removendi 1. Quibus *rupta fuit vena, sanguis per os & nares porfluit, quibus costa fracta, aut aliquod vas in corpore ruptum, naturæ ob acumen sensus nausæ abunde, imbecilles etiam ventriculo & capite, & animi deliquit*: & ii præsertim quibus *caput facili occasione dolet*, caute vomitoria adsumant, ut advertit egregiè *Celsus* l. 1. Id autem intelligit de iis, quibus olim rupta fuit vena, in pulmonibus, & iterum consolidata.

2. *Qui stomachum habent exulceratum*. Metus enim est, ne quod.

ne quod ulceratum est, magis dilaceretur; néve vitiosi humores ad partem affectam trahantur. *Galen. l. 5. m. c. 11.*

3. Qui partes circa umbilicum & inum ventrem ἤρεον Græcè, hoc est circa imi ventris regionem, quæ inter umbilicum & pudenda media interjacet, valdè *habent emaciatas*, iis vomitoria nocent. *Galen. comm. 35. f. 2.*

4. Ut & *herniâ intestinali*, vel *ani* vel *uteri procidentia* laborantibus: levi enim tussi isti affectus recrudescunt, multo magis violento vomendi conatu. *Hippocrates* quidem l. de *steril.* vomitum in uteri procidentia expressis commendat. Sed nos meritò eum cum *Platero* & aliis rejicimus.

5. Vomitiva fiunt gravia his omnibus, qui *suffusionem* habent suspectam, sicut & aliis, qui *oculorum morbis* afficiuntur: quos tamen, dum affectus à ventre oritur, egregiè sanat, sicut & surditatem. *Mercatus.*

6. Nocent porrò vomitiva fœminis, quæ *uteri suffocationibus* corripuntur. *Hipp. l. 1. Morb. mulier.* ait, at supernum ventrem ne moveto, cæcurient enim, aut circum fauces turbationes & alia infestabunt, quod quidem monente *Mercato*, subaudire oportet, dum ex ventriculi vitio malum non oriatur.

7. In omnibus cavere oportet, ne nimis acres aut corruptos humores, per vomitum expurgemus: nam sensus & præstantia oris, ventriculi, ægrè fert contactum vitiosæ materiæ, nisi prius probè fuerit præparata, & aliis lenientibus & humidis medicamentis commixta. *Mercatus.*

8. *Constipationes alvi* si adsunt, aut *dolores colici*, aut membrum principale læsum, ut pulmo, jecur & c. à gravi vomitione abstinendum.

QUÆSTIO SECUNDA.

Quomodo fiat vomitus, & an eâdem expultrice, cum chylus ad intestina, tum evomenda per os expellantur.

Ventriculi actio omnium consensu est chylificatio, famulantibus retentrice, expultrice. De retentrice nullum est

E. 3

dubi-

dubium, quum satis sit clara & manifesta, *Expultrix* quidem etiam videtur esse extra controversiam, quum chylus adscendat è ventriculo, pergat ad intestina, & vomitu cum ab ipsâ naturâ, tum per artem varii humores, imò cibus & potus ejici queant; non omni tamen caret difficultate. Cibus & potus ad *Galen.* mentem ventriculo recipitur, in eo clauso coquitur, tandemque elapsis aliquot horis confectus egreditur, an verò à ventriculo expulsus, an à vicino attractus intestino, apud quosdam incertum. *Laurentius in controv. anatom.* attractricem intestinorum negat, expultricem ventriculi verò autoritate *Galenii* permotus, admittit & propugnat. Verum enim verò si expultrix est in ventriculo, vel erit *naturalis* vel *animalis*. Hanc abesse probatione non eget. Illam adesse inficias quidem non eundem: an verò cum in expulsionem chyli ad intestina *κάρω*, tum in vomitu *ἄνω* munere suo fungatur est dispiciendum. Ubi aliàs vis expultrix naturalis, vel semper uno eodemque modo rem præsentem expellit, vel quiescit, & non nisi valde irritata expulsionem exercet. Hæc itaque si in benè constituto ventriculo semper viget, semper quemvis oblatum cibum expellere debebat, nec consummatam expectare coctionem: si quidem crudus cibus & potus magis molestus ventriculo quàm coctus. Taceamus quosdam in eam abire sententiam, ventriculum chylo nutriri, & summoperè delectari, quem eâ de causâ invitus sanè excludet. Veritati magis consentaneum, chylum è ventriculo non expelli, sed eum à venis ventriculi, tum à pyloro trahi. Nimirum omnis res nutrienda nutrimentum satis promptè trahit, ceu vegetabilia hoc ad oculum demonstrant. A parte nostrâ stantem habemus, *Prosperum Martianum*, qui *comment. in Hipp. f. 119.* ait. *Reverà cibus etiam perfectè concoctus à ventriculo non expellitur, imò neque humores præter naturam in eo existentes, nisi postquam vehementem naturam, infestam qualitatem acquisivère, aut eâ copiam peccent, ut natura inde maxime irritetur, quo casu nature motus sit manifestus, sive per superiora mediante vomitu humores expellantur, sive per inferiora diarrhœâ excitatâ detruantur. Ventriculus enim eâ naturâ est confectus, ut non facillè ab occurrentibus laedatur, quemadmodum ceteræ partes.* *Expultrix tantum.*

eummodò necessaria est, quando in ventriculo existunt ea, quæ coctio-
 nem insigniter alterare, aut quovis modo corpus ledere possunt. Chy-
 lus ergò è ventriculo naturaliter trahitur, in vomitu verò vis
 expultrix exercetur. Ejicit autem ventriculus imis suis parti-
 bus contractis, superioribus dilatatis. Hinc quibus orificium
 superius naturâ firmitus, & ventriculus non adeò mobilis, non
 facillè vomunt. Facilius autem vomunt, qui dispositionem
 habent contrariam. Vomitorium autem vim suam exercet, ut
 putat *Aristot. s. 1. probl. 42.* vel 1. ob calorem loca superiora pe-
 tentem. 2. vel quia aliàs sit vehemens, vel 3. si copiosior,
 quàm natura ferat sumatur, vel 4. quod humores copiosiores
 ad ventriculum deducat, qui à calore agitati, flatus excitantes
 tandem ipsius vomitûs causæ existunt. De calore dubitatio
 occurrit: quum spiritus vini, spir. cinamomi, & alia calidissi-
 ma vomitum potius sedent, quam excitent. Potius existima-
 mus ea omnia vomitum provocare, quæcunque facultatem
 expultricem ventriculi irritant, sive manifestis id fiat qualitati-
 bus, sive occultis. Manifestis irritant nimiam quantitate assum-
 pta, vel in qualitatibus nimiam orificii superioris laxatione à pin-
 guibus, nimiam adstrictione, ut à vitriolatis, vel etiam fortiori in-
 cisione, abstersione, & c. Helleborata, antimonialia, mercuri-
 alia, aliaque fortiora singulari fermento etiam humores ex
 intestinis superioribus, hepatis simâ parte & ipso liene *ava*
 eliminant: quomodo autem id fiat, ex sequenti quæstione
 erit perspicendum.

QUÆSTIO TERTIA.

*An Emetica præter ventriculum, etiam intestina,
 venas mesaraicas, pancreas, jecur, lienem, imò to-
 tum venosum genus evacuaræ queant.*

Ventriculum vomitu evacuari, apud omnes est in confes-
 so, & ipso sensu meridiano jubari expositum. An verò
 etiam ex liene, intestinis, mesenterio, pancreate, hepate, ve-
 nosoque genere ad ventriculum aliquid deduci, & per gulam
 simul evacuari queat, non omni caret dubio. Etenim à liene
 ad ven-

ad ventriculi cavitatem nulla datur via manifesta. Veteres quidem per vas breve acidum humorem in ventriculum eructari statuebant, ut liquet ex *Galeno us. part. c. 4.* Non desunt præterea historiae, quæ fluxum sanguinis, vel alterius humoris, per hanc viam in ventriculum factum attestantur; quod *Columbi* observat. in *in Cibo Cardinali* nec non ex *Riolano l. 2. c. 17.* potest confirmari. Verùm quòd hoc interdum violento motu præter naturam fiat, & naturaliter non contingat, eleganter demonstrat. *Conringius l. 5. de sang. gener. & motu nat.* Porro ad intestinorum tubulos nihil, oculorum quidem iudicio è vicinis partibus meat, nisi per porum cholidochum & ductum pancreaticum à *Wirfungio* notatum. Si itaque vitiosi humores repurgantur, per solos illos ductus id fieri, non nemo iudicare posset. Verùm interim ad animum venit revocandum, quòd cum veteres, tum neoterici vomitum in quartanâ, affectu hypochondriaco, scorbuto, aliisque lienis, imò & in capitis & inferiorum partium affectibus, cum evacuationis tum revulsionis ergò mirè commendent, & quidem non sine felici curationis successu, quod consilia authorum ubivis attestantur. Ex liene itaque, hepate, mesenterio, & venoso genere aliquid educunt, vomitoria aut frustra præscribuntur. Ad illos duos ductus ex hepate & pancreate solùm confugere non possumus, quum cum multis partibus nihil habeant commercii. Hypercatharsis in *ἀνα & κάτω* confertim & cum impetu purgantibus, quid aliud ostendit, quam notatos canales ad tam copiosam humorum rejectionem non sufficere: sed alias præterea patentes scaturigenes adesse oportere. Helleborata & antimonialia intestino recto, sive glande, sive clystere communicata, item abdomini vel aliis partibus exterius applicata, non rarò vomitum æquè movent, ac si per os fuissent assumpta, quomodo autem hoc fiat, meritò est inquirendum.

Ante omnia hîc est repetendum, vomitiva esse *lenia, mediocria & fortia.* Lenia & mediocria non multum ultra ventriculum & vicinas evacuant vias. De fortioribus itaque imprimis est quæstio, quomodo suam efficiant operationem. De purgantibus *κάτω* aliàs notum, quod in actum à calore nostro deducta

deducta, totum repurgent corpus, dubio procul vaporibus fermentantibus, per vias consuetas, tum etiam per poros insensiles, sanguini communicatis, qui instituta separatione vitiosi à bono, irritant expultricem in quavis parte ad ejiciendum, & ita non solum per patentes in intestinis vias crassa, tartarea, & biliosa recrementa; verum etiam serosa, aquosa & tenuia per venarum & arteriarum poros exterminant. Per cutis poros sudor copiosissimus potest educi; quidni & materia serosa & aquosa per venarum & arteriarum poros ad intestina? In dolore dentium à catarrho, gingivam & substratos nervos obsidente, sæpè remedia denti dolenti applicata serosam colluviem ad uncias & ad libras nullo aperto vase; sed per poros solùm educi videmus. Quidni idem in intestinis & ventriculo per medicamenta fieri credendum? Nihil dicamus de aliis pharmacis, quæ ore detenta vel leviter calefacta undequaq; de cerebro humorem trahunt. Quamobrem eadem ratione & fortiora vomitoria fermentationem peculiarem instituire, bonum à vitioso segregare, ad intestina & ventriculum præcipitare, peculiari tamen vi magis ἄνω quam κάτω evacuationem instituire, omninò credendum, quod externa & intestino recto injecta plus satis persuadent. Fortiora itaq; vomitoria non ventriculum solùm, sed & intestina, mesenterium, lienem, hepar & totum venosum genus æquè ac purgantia κάτω repurgare posse, adeòq; in omni morborum genere profutura ambabus largiendum manibus.

QUÆSTIO QUARTA.

An in apoplexiâ locum habeant?

Forestus pro sententiâ negativâ expressis pugnat verbis. *Quis non intelligit, ait, quantum in hac curatione ventriculus inflatur, aestuet, septum transversum prematur, pulmones arctentur, cordis semita, quas liberare esse oportet, stringantur, ut omninò mirum videri debeat, si non celerius in hac colluctatione infelix homo suffocetur.* Huic effato subscribunt *Septalius, Platerus, Sennertus, Nymmannus, & alii.* *Avicenna* verò contrariam sententiam olim amplexus est, additis rationibus, quod si 1. vel repletio oris adsit, vel 2. nau-

F

seati-

festiva satietas à cibo & potu forsàn præcesserit; vomitus utilis futurus sit, vel 3. quum præterea nausea & voluntas vomendi cerebrum calefaciant, & ventositates discurant, eà ratione quoq; emolumentum exinde sit expectandum. Hunc sequuntur *Aëtius*, nec non *Paulus Aegineta*. *Eustach.* *Rudius* quoq; *l. 1. c. 16. f. 43.* antimonium hyacynthinum, & tithymali grana, quæ ex *India* afferri & efficacia esse dicit, in eodem affectu porrigit. Inter Neotericos *Lazarus Riverius* adducto experimento ait, se nosse nobilem virum, qui intra biennium, se ter liberaverit ab apoplexiâ, infuso croci metallorum. *Quamvis nonnulli doctissimi Viri*, addit porro, vomitoriorum usum, in his affectibus improbent, tamen experientia magis credendum, quæ etiam nos docet quotidiana, pueros comate affectos sale & vomitivo promptius & tutius, quam alio remedio liberari. *Quercetanus* in tetrad. graviss. aff. calculum suum addit & decoctum vomitor. quod exemplis antea - propositis annexum, præscribit. *Hartmannus* ipsum Mercurium vitæ offerre non veretur: à crebris vomitionibus ait, in robustioribus primâ regione ventris expurgatâ, paulò post ad se redeunt. Existimamus itaq; tuto vomitoria statim in principio, si nihil aliud impediat offerri posse, ut enim vehementiori vomendi conatu obstructiones in pleurâ & pectore sæpè feliciter tolluntur; ita & eodem cerebri meatus vaporibus vel humoribus obsessi liberari possunt, quod simili exemplo in comate, maniâ & epilepsiâ fieri conspiciamus. Ante tamen vomitorii usum, si validus sit pulsus, æger non admodum senex, attamen boni & plethorici habitus, vel quedam saltem sanguineæ apoplexiæ signa sint in promptu; post redditos clysteres, sermone non revocato, ex utraq; cephalicâ venesectionem præscribere, cum parçâ verò sanguinis detractatione conveniet, *Quercetano* suggerente.

QUÆSTIO QUINTA.

An in melancholiâ & maniâ convenient?

DE melancholiâ hypochondriacâ nullum facilè movebitur dubium, siquidem in eâ *Sennertus* & alii præ cæteris vomitoria commendant, ceu à parte in quâ causa morbi hæret, commodissimè humores vitiosos rejectatura. Ast in melancholiâ

choliâ vel & maniâ, ubi cerebrum per essentiam est affectum, non omnis videtur abesse scrupulus. Objicitur hic aph. 9. l. 4. *Melancholicos infra vehementius purgabis, eâdem ratione contrariam iniens vacuandi viam.* Galenus in comment. & alii addunt rationem, humorem melancholicum nimirum esse terrestrem, crassum & naturâ suâ pigrum, ideoque commodius ad intestina duci, quam per superiora evacuari. Obstat porrò illud *Oribasii* apud *Galenum*: *Revulsio facienda est deorsum, quidem, ubi succi ad superiora! sursum, ubi ad inferiora vergunt.* Quum porrò alias vomitu revulsio fiat à partibus inferioribus, pedibus, utero, renibus & c. qua ratione, in affecto cerebro prodesse queat, nondum satis clarum, *Mercurialis in Medic. Practic.* dubio procul hos videns scrupulos à vomitu expressè in melancholiâ interdicit. Apud veteres tamen in his affectibus nihil erat frequentius in usu helleboro: adeò ut in proverbium abierit, & is qui mentis non erat compos, helleboro seu *Anticyrâ*, ubi copiosè crescebat helleborus, opus habere, diceretur. *Hippocr.* etiam in epist. ad *Cratevam Herbar.* ubi de *Democrito* insaniente verba facit, inter cætera addit. *Certiores autem sunt per veratrum purgationes, quibus etiam Melampus ad Præti filias & Anticyreus in Hercule fuisse usi traduntur.* *Avicenna* porrò pro purgatione laudat vomitum factum vel cum succo raphani, vel etiam postulante necessitate cum helleboro. *Aërius & Forestus* idem admittunt auxilium, *Dr. D. Köppen, Medicus Magdeburgensis* ut ex epist. *Horstii* videre licet, suis floribus & maniacum cæteris medicis desperatum, ut & alium sanæ mentis non compotem, feliciter restituit. *Hartmannus* in maniâ & melancholiâ aquam suam benedictam offert. Alias authoritates in medium afferre supersedebimus. Quum itaque hac in parte cum veterum tum Neotericorum experientia nobis satis fa- veant, existimamus vomitoria in dictis affectibus tutò posse exhiberi, modò æger ad vomendum sit pronus & alia obsta- cula, de quibus alibi dictum, non adsint.

Quod attinet allatas objectiones, respondemus. 1. *Hippocrat.* sibi nequaquam esse contrarium. In aphor. allegato sal- tem ait: *vehementius melancholicos infra purgabis i. e. cre-*

brius eos purgabis, tempestivis vomitoriis locum tacite relin-
quens, quod & ipse in curationibus observavit, quando ve-
ratro usus est.

2. Revellunt vomitoria à partibus inferioribus, ut di-
ctum, sed & simul à superioribus. Notum enim est, quod re-
vellantur humores, non qui jam sunt in parte affecta (hi enim
propriè ex parte affecta, aut vicina evacuatur) sed ii, qui ad
partem aliquam fluunt, aut fluxuri sunt; qua ratione cavetur
& prohibetur, ne pars affecta humoribus affluentibus replea-
tur. *Sennert. in Instit. p. 1058.* Proinde vomitoria quæ evacuunt
ventriculum, ramos venæ portæ, hepar, & lienem; revulsione
præcavent, ne humores in dictis partibus restagnantes, vel ad
superiores, vel ad inferiores partes devehantur. Quamque in
mania & melancholiâ essentiali non cerebrum solùm, sed &
totum venosum genus sæculentis & adustis humoribus, nec
non incensis spiritibus scateat, non videmus, quare vomito-
ria in curatione horum symptomatum sint ceu inutilia præsi-
dia negligenda. Astipulantem nobis habemus *Alex. Benedictum*,
qui in oper. de re medic. ad Maximil. Cæsarem. f. 243. ex-
pressis verbis addit: *quod vomitus à superioribus partibus avertet
materiam, sensusq; omnes juvet, si moderatus sit.* Tandem & per-
pendendum, vomitoria fortiora, præter vim emeticam insi-
gnem simul aperiendi, discutiendi imò & purgandi per alvum
vim obtinere & eâ quoque ratione commodo esse. Proinde
& in cæteris cerebri affectibus ubi vitium non solùm in cere-
bro hæret, sed & in hypochondriis vel totius sanguinis culpâ
fovetur & augetur, tutissimè purgantia *à vno* possunt exhiberi,
quemadmodum hoc clarius è quaestione tertiâ conspicien-
dum.

QUÆSTIO SEXTA.

An in phtisi convenient?

Negativam hic quamplurimi propugnant *Hippocr. authori-*
tate 4. aph. 8. permoti, ubi ait: *obnoxios phtisi supra ne purga-*
to. Supra etiam fuit notatum, quod vomitus vitandus, ubi vel
vera fuit rupta, vel viscus internum læsum. Hinc quum in verâ
phti-

phthisi pulmones ulcere sint affecti, & sæpe vomitio sanguinis
 corrosione à pure facta sequatur, omninò periculosa plenum
 opus aleæ videtur vomitorii exhibitio. Non desunt tamen lo-
 ca in ipso Hippocr. in quibus vomitoria in phthisi commendan-
 tur. Sic l. 2. morb. f. 5. quando tabem ex pulmonis vitio, cum
 sputo crasso, & aliis indicibus describit, tandem addit: *si per*
initia morbus obtigerit lenticule cremorem propinato, deinde intermis-
so uno die, veratrum ita temperatum, ut ne inferiorem alvum cieat,
exhibeto. Quumq; salugo ad os deveniat, crebriora ei medicamenta
ad naves admoveto. Sed si non effluat, apponito quidem, verum ex ma-
jore intervallo, & semel in mense, veratro, quantum duobus digitis tolli
potest, ex vino dulci temperato insuper epoto, lenticula verò decoctum
confestim inde bibendum dato. Medicamenta purgantia nisi eum fe-
bres acutiores præbendant, quam paucissima bibat Paulò post eodem
in loco ait, si pulmonis fistula ulcere fervido & superficiali laborarit,
febris lenis detinet, medio pectore dolor vexat &c. Hunc curare oport-
et, ut epoto lenticula decocto vomat. Quod si tempestivum tibi videat-
tur, veratrum per se, si quidem per hominis vires liceat, propinato, sin-
minus, dimidium portionis ad lenticula decoctum admisceto, ita ut
quintâ aut sextâ portione desinas. Ventrem autem inferiorem, nisi febres
vehementer prehenderint, medicamento purgante ne agitato. Cla-
rissima hæc loca dubio procul movêrunt Hartmannum, ut in
prax. chim. in hæc verba proruperit. In incipiente tabe & destilla-
tionibus acribus vix dici potest, quantum vomitiones præstent, præfer-
tim ab aquâ benedictâ, si cerebrum simul tanquam membrum man-
dans suis specificis & confortativis diligenter in suo vigore servetur.
Deinde respiciendum quoq; ad illapsos humores in ipsos pulmones, ut
expectorantibus mundificativis, aut si tenues sint, incrassantibus do-
mentur. Quod si nihilominus exulceratio ipsius pulmonis, quæ exquisi-
tam phthisin constituit, suborta fuerit, si recens extiterit, vomitiones
multùm juvant, ad mundificationem, & pectoris saburram sublevan-
dam. Existimamus itaque vomitoria quidem esse vitanda in
phthisi confirmatâ, de quibus aphor. citatus loquitur. In inci-
piente, à catharro proveniente, & ubi ulcus adhuc est superfi-
ciarium; cum fructu in iis, qui ad vomitum sunt proclives, pos-
se exhiberi, quòd cum cætera Hippocr. loca, tum Hartmannus



adfirmant. Nimirum alia ulcera puris evacuationem desiderant, & eâ de causâ etiam chirurgi manum sæpè cum dolore comprimant ferre possunt. Quidni itaque ulcus pulmonum à medicamento vomitorio puris expressionem aliqualem ferat? modò ulcus sit superficiarium, & motu isto ad puris expectorationem promoveri possit.

QUÆSTIO SEPTIMA.

An Ebrietas & Crapula pro vomitu excitando ad conservationem sanitatis sit utilis.

Multi moderno tempore sanitati valdè conducere existimant, si semel in mense lautius cibo & potu se invitent, & quidem eo usque, donec vomitus sequatur, persuasi, ita primæ coctionis vitia, per mensem contracta ejici, ventriculo robur suum conservari, & à morbis præservationem fieri. Quidam unicâ inebriatione non contenti, etiam sequenti die *Hectoros udos* (ut cum *Taubmanno* loquamur) sese ostendunt, pravam hanc consuetudinem illius tralatitii sipario obvelantes: *Man müsse Hundeshaar drauff legen* / quam quidam *Schola Salernitana* autoritate muniunt, quando ait:

Si nocturna tibi noceat potatio vini.

Hoc tu manè bibas iterum & erit medicina.

Consuetudo hæc videtur ab ipso *Hippocr.* probari. Nam l. 3. de vict. rat. & l. infomn. vomitionem à repletionem cibi & post ebrietatem sæpè mandat. Idem consilium subinnuit *Avicenn. l. 1. doct. 2. c. 8.* ubi non parum emolumentum ex eo consecuturum adserit, si quis semel in mense inebrietur, quo videlicet per ebrietatem vomitus excitetur, ut qui maximè ab ægri tudinibus chronicis præservare queat. *Dioscor. & Rhasam* idem sensisse, eorum scripta confirmant. Imo & in curatione morborum vomitum à cibi repletionem sæpius veteres instituebant. Ita *Paulus & Aëtius* medici suâ ætate celeberrimi, vomitum post cibum præscribebant, ubi febris in vetustatem incidisset. *Avicenn. infimul. 4. canon. tract. 2. c. 40. de curâ tertiana non pura,* & scias, inquit, quod non est res magis juvans eos, quam vomitus post cibum. *Galenus* pariter & alii non rarò à cibo vomitum

man-

mandant. Verùm quàm commodè hoc fiat, experientia ipsa loquitur, & rationes desiderantur. Bis vel ter quidem in mense vomere, consuetos à multis præservat morbis, quemadmodum eà de re pleni sunt practitorum libri: an verò hoc modo, nimirum in ebriatione id fieri debeat, meritò venit inquirendum. Ante omnia autem hic considerandum, quòd vomitu ventriculus solùm expurgetur, vel simul partes vicinæ. Vomitus à cibi & potus repletionem si fiat, ventriculū solum evacuari est certum, & quidem interdum magis cum sanitatis damno, quam notabili aliquo emolumento. Etenim licet hęc ipsa vomitionis specie, omnis vini, cerevisiæ, ciborumq; satietas, cum aliis humoribus, è stomacho exhausta videatur, nihil tamen, quam terrestrior tantùm tartareaq; saburra rejecta est, Spiritibusque calidis & penetrantibus, ut & succis non fermentatis, & crudis in mesenterio & toto corporis ambitu à tergo relictis. Hoc communi potatorum suffragio verum est, quod quamvis fortissimos vomitus, non leves etiam, tam per alvum, quàm per urinam excretionem habuerint, nihilominus extremis capitis doloribus, inflammatione totius corporis, partium nervosarum languore, tremore, convulsione, non raro febribus aliisque symptomatibus corripiantur. Hanc itaque Hippocr. & Avicenn. sententiam Rabbi Moses tract. 4. ad Babylonia Sultanum ceu erroneam his verbis meritò convellit. *Nocet, inquit, ebrietas omni & maxime assidua: erravit ergò, qui esse putavit utilem ebrietatem semel in mense.* Quin eadem etiam à Gvilhelmo Placentino l. 1. c. 8. de curat. morbor. & à Gordon. part. 2. liliè c. 21. & à Valesco, l. 1. philon. c. 8. redarguitur. Potius ergo considerandum, frequentem ebrietatem sex graviorum morborum genera, è quibus infiniti alii proveniunt, in corpore humano excitare, ipso Avicennâ 3. l. doct. 2. c. 8. attestante. Hinc tutiora vomitoria, quæ infinita Deus nobis aliàs est largitus, meritò sunt eligenda; & ebrietas sacrarum literarum mandato, ceu pestis fugienda & execranda. Maximè quidem ebriis vomitus competit, non quidem, quòd corpori multas ferat utilitates, sed quòd particulam erroris ebrietate commissi demat, cruditates è primis evacuando yis, priusquam cum

totius

totius corporis incommodo ad penetralia & intima omnes
 deferantur, & mali ovi foetum excludant. Ast hac vomendi-
 ratione se a morbis praeservare velle, tam est a ratione alie-
 num, quam quod alienissimum. Quod attinet vomitum a
 sumto cibo in curatione morborum, concedimus quidem, a
 cibo facilius aegrum vomere, sed minori cum fructu. Si enim
 aeger ad vomitum sit propensus, melius est jejuno ventriculo,
 & ante cibum potumve vomitum ciere: sic enim melius hu-
 mores e venis extrahentur. Hac in parte *Gentilius & Arculanus*, ex-
 cellentissimi *Avicenna* interpretes *capite de febris quartana cura*
conveniunt: si corpus de facili vomat, sine praemissione cibi concedi
potest, ad attrahendam melancholiam a splene ad stomachum: si au-
tem veniat difficulter, melius est cibum praemittere, ut vomitus facili-
tur. Si igitur vomitus instituaturn ad ventriculum solum, ab hu-
 moribus crassis evacuandum, utile erit, aut cibum, aut potum
 praemittere, aut statim post, in *Δυσμεσσι* assumere. Si vero ab
 universo corpore evacuandum sit, & aeger ad vomendum pro-
 clivis, utile erit jejuno ventriculo assumere. Humores si mi-
 nus sint sequaces, balneis & victu antecedente eos praeparare
 convenit, nihilque postea aut edere aut bibere, donec vomitorii
 virtus in actum deducta corpus penetrarit: quia potu statim ad-
 hibito obtunditur virtus operans remedii. Ea de causa *Hartman-*
nus convenienter monet, *ne jusculum, aut cerevisia mox ab assumpto*
vomitorio exhibeatur, sed demum, ubi aeger bis terve vomuerit. Ni-
 mirum actio medicamenti a super ingestio cibo impedi-
 tur, quae in actum a natura deducta, verè a li-
 quido vehiculo superveniente

juvatur.

F I N I S.

ULB Halle


3


005 132 606



VDA 7







24. 1649,1 1

SANCTA TRIADE ASPIRANTE.
EMETOLOGIA.
Seu
DISPUTATIO MEDICA
DE
NATURA ET USU
VOMITORIORUM.

PRAESTANTISSIMO
QUAM
PRÆSIDE
VIRO
Nobilissimo, Amplissimo, Experientissimo,
Dn. GOTHOFREDO MOEBIO,
Medic. Doct. & P. P. celeberrimo, Electorali Bran-
denburgico, & Admin. ArchiEpisc. Magdeburg. Archia-
tro famigeratissimo. Dn. Praeceptore, Patrono, Promo-
tore, ac Fautore suo, omni & observantiae & ho-
noris cultu æviternum profe-
quendo.

Placido ac publico Philiatorum examini
exponit.

JOHANNES CASPAR BOWITZ,
JENENSIS.

Ad diem Augusti

In Auditorio Medico, horis consuetis.

J E N Æ

Excudebat **CHRISTIANUS LAURENTIUS Kempff/**

ANNO

M. DC. XLIX.